SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

JOHANNE COCCEJO

ANTI-SCHOLASTICO.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

ALBERTUS VAN DER FLIER,

ex urbe Hykerk.

A. D. XV M. JUNII, ANNI MDCCCLIX, HORA I.

Trajecti ad Rhenum.

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLIX.

Homo sum et beneficio Dei Christianus, qui cum sibi nihil nisi peccatum attribuat, tum plurimi faciat in fide quotidie corroborari et in vera pietate proficere, atque isto fine et gratuam coelestem animitus imploret et oracula divina eorumque sinceram intelligentiam, citra quam nec fides, nec gloria Dei, nec ullus Christiani hominis actus constat, in maximo habeat aestimio ac precio.

COCCEJUS.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

NEC NON

DILECTISSIMAE MATRIS

PIAE MEMORIAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

Quum mihi summos in Theologia honores petenti specimen Academicum conscribendum esset, JOHANNIS COCCEJI *merita in Theologicis exponere, ob insignem locum, quem inter Theologos saeculi* XVII *occupavit, opus haud sine fructu mihi fore putavi. Ex titulo, libellò nostro praefixo, a quanam maxime parte eum conspiciendum dare voluimus patere potest. Quod ad priorem partem nostrae disquisitionis attinet, hanc praemittere necesse habuimus, quia haud prius de* COCCEJO, *Scholasticismi adversario, agi posse putavimus, quam Scholasticismi characterem breviter exposuerimus. In altera deinde parte exponenda, de vita* COCCEJI, *deque ejus meritis in s. codice interpretando ea tantum narravimus, quae ad viri characterem theologicum rite intelligendum*

[illegible] sunt. *De utraque enim* [illegible] G. VAN GORCUM, *in speci-* [illegible] CICERO, s. codicis interprete. [illegible], *quam oculi sumus, data oppor-* [illegible]. *Ad fontes quod attinet* [illegible] *adivimus; quos tamen hic* [illegible] *adhibendi fuerunt.* [illegible], *quem ut lectores si forte* [illegible], *humaniter rogo.*

[illegible] *carissime! hunc juvenilem la-* [illegible] *officium. Quot enim* [illegible] *summa cura et intimo amore,* [illegible], *nobis morte eheu! erep-* [illegible], *tum pro singulari bene-* [illegible], *cui nunc etiam debeo* [illegible], *maximo gaudio afficiar. Ac-* [illegible] *studiorum, exiguum* [illegible], *qua me tibi conjunctum* [illegible] *memincro quae in me be-* [illegible]. *Pater optime! filium diligere pergas.* [illegible], *fratribus et sorori incolumem* [illegible] *gratiae suae divitias lar-* [illegible].

[illegible] *Clarissime* VINKE, *Promotor* [illegible] *hominibus me tibi conjunctum* [illegible] *licebat. Singulari humanitate*

semper erga me fuisti: amicitiae indicia saepius expertus sum. Auxilium tuum et consilium ut nunquam mihi roganti recusasti, sic in ultimo opere meo Academico perficiendo saepissime mihi dedisti. Pater coelestis benigne cladem leniat domesticam, quam ex carissimae uxoris morte subiisti. Diu te sustentet, et Academiae, disciplinarum et ecclesiae saluti conservet.

Vos etiam compellare mihi liceat, viri clarissimi BOUMAN *et* TER HAAR! *Per tres annos, quibus institutione vestra uti mihi contigit, nec non in specimine meo conscribendo saepius singularem vestram erga me benevolentiam expertus sum. Quod semper grato animo recordabor. Det tibi Deus, clarissime* BOUMAN! *longa vita intenti laboris peracto, diu frui quiete tibi dulci, neque aliis infructuosa. Tibi et Collegae adsit, diuque Academiae emolumento vos esse sinat.*

Te quoque recordari mihi liceat, doctissime VAN DEN HAM! *sacrarum in urbe* Rhéno-Trajectina *antistes. Gratias tibi ago quam maximas pro singulari benevolentia, qua per vitam meam Academicam in domum Tuam me accepisti: pro institutione tua, qua per biennium fere frui mihi contigisse valde gaudeo. Pater coelestis omnibus nominibus tibi adsit, vires sustentet atque augeat, et regno* CHRISTI *magis magisque te fructuosum reddat.*

Neque vos praetermittere volo, amici conjunctissimi! qui tot contulerunt ad Academicam vitam fructuosam

mihi non minus quam amoenam reddendam. Nunquam tempus memoriam delebit laetorum dierum, quibus vobiscum frui mihi licuit. Amicitiae vinculum, quo in Academia juncti fuimus, constrictos etiam nos teneat, quum locorum distantia me a vobis distrahit. Valete vos omnes! Vivite felices meique memores estote!

Scripsi Ultrajecti,
die V mensis Junii anni 1859.

CONSPECTUS.

PARS I.

SCHOLASTICISMI IN ECCLESIIS PROTESTANTIUM LINEAMENTA.

Pag.

§ 1. De Scholasticismo a Reformatoribus rejecto . . . 1.

§ 2. De Scholasticismo inter Protestantes redivivo . . . 9.

§ 3. De Scholasticismo in ecclesia Reformata-Nederlandica. 19.

§ 4. De praecipuis Theologis scholasticis in ecclesia Reformata-Nederlandica . . . . . 25.

PARS II.

DE COCCEJO THEOLOGO ANTI-SCHOLASTICO.

Praemonenda . . . . . 42.

CAPUT I.

DE COCCEJI VITA, STUDIIS ET INDOLE.

§ 1. De coccejo puero et adolescente . . . . . 43.

§ 2. De coccejo sacrae scripturae studium in publica vita commendante . . . . . 50.

§ 3. De loco, quem Philosophiae in Theologicis coccejus assignavit . . . . . 56.

Pag.

§ 4. De liberaliore loco, quem COCCEJUS inter aequales obtinuit . . . . . 65.
§ 5. De indole COCCEJI . . . . . 69.

CAPUT II.

DE COCCEJI THEOLOGIA.

Praemonenda. . . . . 73.

SECTIO PRIOR.

COCCEJI OPINIONES DE THEOLOGIA, DEQUE FONTIBUS EJUS COGNOSCENDAE.

§ 1. Theologiae notio, definitio et indoles. . . . . 75.
§ 2. De fontibus, e quibus Theologia a nobis cognoscatur. 78.
§ 3. De sacra Scriptura norma credendorum. Auctoritas. Necessitas. Perfectio. Perspicuitas. . . . . 82.
§ 4. De modo, quo COCCEJUS veritatem divinam ex sacra Scriptura peti voluit. . . . . 95.
§ 5. De nexu, quem inter diversas s. Scripturae partes sibi COCCEJUS informavit. . . . . 101.

SECTIO ALTERA.

DE THEOLOGIA COCCEJI FOEDERALI.

§ 1. De notione foederis universe spectata. . . . . 109.
§ 2. De COCCEJI systemate foederali, quale hoc exposuit in *Summa doctrinae de foedere et testamento Dei.* De foedere operum. . . . . 122.
§ 3. De *Foederis operum* abrogationibus . . . . . 130.
§ 4. COCCEJI de *Ultimis* MOSIS considerationes. . . . . 147.
§ 5. COCCEJI de Sabbato sententia . . . . . 154.
§ 6. COCCEJI sententia de *παρέσει* et *ἀφέσει* . . . . . 161.

Epicrisis. . . . . 166.

PARS PRIOR.

SCHOLASTICISMI IN ECCLESIIS PROTESTANTIUM LINEAMENTA.

§ 1.

De Scholasticismo a Reformatoribus expulso.

Res sacrae saeculo XVI instauratae in pietatem non tantum et religionem, sed etiam in Theologicam disciplinam exhibendam quam maximi momenti fuerunt. Rejecta ecclesiae Romanae auctoritate solis ex s. scripturae medullis haurire cupientes quae ad bene vivendum beateque moriendum necessaria ducebant Reformatores, haud minus valedixerunt omnibus illis argutiis et quaestionibus Scholasticorum, quorum *summis* et *libris sententiarum* transformata fuerat in tenebras lux clara verbi divini. Theologia tamdiu a philosophia imprimis Aristotelica deformata, multisque quaestionibus absurdis et subtiliter actis, omni vi et vita destituta ad ipsam vitam ab iis revocata et eo praesertim consilio tractata est, ut certiores de via salutis per eam homines redderentur. Fides a

plerisque in Romano-Catholica ecclesia ad merum eorum, quae scriptura et ecclesia prodita erant, assensum abjecta [1]), intimo pectore reposita est tanquam „fiducia misericordiae divinae, promissae in CHRISTO" [2]). Practicam illam Reformatorum indolem omnia fere eorum opera nobis ostendunt. „Porro", MELANTHON inquit, quum loquitur de fine, quem sibi in *Locis theologicis* conscribendis proposuit [3]) „quod ad summam argumenti attinet, indicantur hic Christianae disciplinae praecipui loci, ut intelligat juventus, et quae sint in scripturis potissimum requirenda, et quam foede hallucinati sint ubique in re theologica, qui nobis pro CHRISTI doctrina Aristotelicas argutias prodidere..... Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas et impeditas disputationes a scripturis avocem studiosos, sed ut si quos queam ad scripturas invitem".

Quo autem se LUTHERUS animo gereret erga Scholasticos, eorumque patronum et nugas inanes, qui

---

1) Cf. H. E. VINKE, *Oratio de vera fidei Christianae notione*, pag. 12, 37 et scriptores ibi allatos.

2) Cf. MELANTHON, *Loci theol.*, ex edit. AUGUSTI, pag. 91. Cf. BRETSCHNEIDER *Corpus Reformatorum*, T. XXI, pag. 163. Cf. etiam VINKE, l. l., pag. 38 sqq.

3) l. l. in praefatione primae edit. Cf. BRETSCHNEIDER l. l. pag. 83. De historia et fatis hujus libri conferri possunt HEPPE, *Dogmatik des Deutschen Protestantismus*, T. I, pag. 14—35. GASS, *Geschichte der protestantischen Dogmatik*, T. I, pag. 21—50 et auctores ibi allati. Quo autem consilio MELANTHON locos suos primum edidit, eodem primitus in *Institutionis religionis Christianae* editione CALVINUM ductum fuisse, nos docet huic operi praemissa ad regem Galliae praefatio: „Tantum erat animus, rudimenta quaedam tradere, quibus formarentur ad veram pietatem, qui aliquo religionis studio tanguntur", cet. Postea demum accessit usus apologeticus. Cf. eadem praefatio.

ARISTOTELEM ipsum diabolum se habiturum esse testatur, nisi homo ille fuerat [1]), scripta ejus ubique fere satis docent. Neque minus eorum methodum odio prosecutos esse ZWINGLIUM et CALVINUM, quamvis vulgo minore in eos acerbitate invehentes notissimum est. „Meminerimus", — ita CALVINUM dicentem audimus in *Institutione Christianae religionis*, ed. THOLUCK, lib. I, c. 14, § 4. — „Meminerimus in tota religionis doctrina tenendam esse unam modestiae et sobrietatis regulam, ne de rebus obscuris aliud vel loquamur, vel sentiamus, vel scire etiam appetamus quam quod Dei Verbo fuerit nobis traditum. Alterum ut in lectione scripturae iis continenter quaerendis ac meditandis immoremur, quae ad aedificationem pertinent, non *curiositati* aut *rerum inutilium* studio indulgeamus. Et quia Dominus non in *frivolis quaestionibus*, sed in solida pietate, timore nominis sui, vera fiducia, sanctitatis officiis erudire nos voluit, in ea scientia acquiescamus..... Verum", pulcerrime pergit, „nisi CHRISTI discipulos esse nos piget, eam, quam ipse methodum praescripsit, sequi ne pigeat. Ita fiet ut ejus magisterio contenti, a supervacuis speculationibus, a quibus nos revocat, non tantum nos abstineamus, sed etiam abhorreamus". Et porro „Theologo non garriendo" inquit „aures oblectare, sed vera, certa, utilia docendo conscientias confirmare propositum est".

Ne tamen quis haec legens putet in omne philosophiae studium odio affectos fuisse Reformatores. Quod ita fuisse eo ipso haud verisimile habendum, quod plu-

---

1) Cf. PLANCK, *Gesch. des Prot. Lehrbegriffs*, T. I, pag. 45.

res haud vulgari amore imbutos fuisse constat classicarum linguarum studii, quibus antea nimis neglectis pro parte saltem paulatim orta erat in ecclesia magna illa ignorantia verbi divini. Hoc ipso studio sponte quasi philosophis veteribus perscrutandis iis ansa data erat. Sed quidquid sit, contrarium nos, si non de omnibus, de plerisque tamen satis superque historia docet. Academiam Genevensem quum conderet CALVINUS, philosophiam eamque *Aristotelicam* docere expresse ab eo jussi sunt magistri [1]). Uti apud CALVINUM, sic etiam apud MELANTHONEM abusum ejus usum non tollere constitit. Quid? quod ipse testatur „nunquam intelligere se potuisse, quid sit philosophia, aut quos haberet usus, priusquam hanc sinceram Evangelii doctrinam attigit, quae nuper admodum singulari Dei beneficio renata est." Multos existimat in hoc esse consessu „qui idem ingenuo fateantur, dignitatem, vim et usum philosophiae primum se cognita CHRISTI doctrina intellexisse" [2]).

Ex hisce et similibus, quae apud eum occurrunt, enuntiatis efficere possumus, quanti habitum sit ab eo philosophiae studium. Non mirum igitur magnopere eum studium illud discipulis et theologis futuris commendasse, quo nimis neglecto saepius in graves errores sectas incidisse putavit [3]). Praeterea „Ecclesia" inquit „opus est dialectica i. e. arte seu

---

1) Cf. YPEY, *Beknopte letterkundige geschiedenis der systematische Godgeleerdheid*, T. 1, p. 212.

2) MELANTH., *Quaest. Acad.* I. *An philosophia pietati officiat?* Cf. BRETSCHNEIDER, l. l., T. X, p. 688.

3) Cf. Disput. *de Aristotele*, l. l. T. XI, p. 654: *Declam. de Philo-*

via recte, ordine et perspicue docendi, quod fit recte definiendo, dividendo, argumenta vera connectendo, et falsa refutando." Itaque philosophiae colendae usum materialem non tantum, sed imprimis formalem agnoscens, non melius putavit rem illam procedere, quam moderato instituto ARISTOTELIS philosophiae, imprimis Logicae studio, quem tum ob systematicum ordinem, quem ubique fere sequitur, tum ob multa egregia, quae de Physica et Ethica tradit, longe PLATONI praeferendum esse censuit, apud quem certa placita non minus quam certam methodum frustra quaereremus, et qui saepius „*vaticinari* potius quam *docere* videtur." Propter omnes illas virtutes Aristotelicum philosophiae genus maxime in ecclesia usui esse, neque „carere hujus philosophi monumentis nos posse" putavit [1]).

Ipse igitur nobis MELANTHON reliquit Logicae Aristotelicae adumbrationem [2]). Diversa quae in illo libro auctor nobis exponit enuntiata, saepius exemplis ex

---

sophia, l. l. p. 278 sqq. „Primum omnino Ilias malorum est incrudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnae res non explicantur diserte, miscentur ea, quae oportebat sejungi, rursus illa, quae natura conjungi postulat, distrahuntur, saepe pugnantia dicuntur" etc. Magno instrumento destitutum esse censet Theologum, „qui nescit illas eruditissimas disputationes de anima, de sensibus, de causis appetitionum et affectuum, de notitia, de voluntate". Hujus rei exemplum est „indocta et sophistica Theologia Anabaptistarum". Requirit igitur „eruditam philosophiam, non illas cavillationes, quibus nullae res subsunt".

1) Cf. praeter locos allatos *declam. de corrig. adol. studiis* l. l. p. 23 sqq; *Erotemata Dialectices*, l. l. T. XIII, p. 514.

2) *Erot. Dial.*, l. l., p. 582 sqq.

Theologia sumtis illustrat [1]). De variis formis syllogismorum, deque maximo eorum usu in argumentando copiosissime agit [2]). Singulis etiam materiis rite tractandis, schema nobis offert, rerum continens *definitionem*, *genus*, *species*, *causas*, *effectus*, *cognata*, *pugnantia* etc. [3]), quas distinctiones veluti germina dicere possimus formulis perplexis postea tam in Theologiam quam in philosophicas disciplinas irrepsis.

Nec tamen philosophiae studium vel ratio ejus erga Theologiam, qualia sibi haec MELANTHON informavit, talia erant, ut ipse, ne novus ex iis scholasticismus oriretur, timere potuisset. Rejecta enim Metaphysica obscura, ea tantum, quae nos de natura, de homine, de anima, de ethicis philosophia Aristotelica docet, ad clariorem et eruditiorem patefactorum expositionem adhiberi voluit, simul Dialecticam et Logicam commendans ad viri, disciplinis incumbentis, animum et ingenium colendum. Eatenus tamen non omnis ei vis abneganda esse videtur in posteriore Theologiae tractandae methodo valde deformi, quatenus ipsius prae ceteris auctoritate et exemplo factum est, ut ad ARISTOTELIS philosophiam denuo attenderent Protestantes. Sic facilius posteriores Theologi temporum conditionibus duci potuerunt ad Metaphysica etiam studia, quae MELANTHON intacta reliquerat, denuo tractanda, et cum Theologia conjungenda, quod revera factum esse mox videbimus. Hic monere nobis superest, eas-

---

1) l. l. p. 582, 611, 695, alibi.
2) l. l. p. 594 sqq.
3) l. l. p. 574, 663.

dem fere et apud alios saeculi XVII ineuntis theologos tam Lutheranos quam Reformatos causas valuisse, cur philosophiam magni fecerint, quamvis longe alieni a cavillationibus, ex male illa applicata, antea ortis. Sane apud nonnullos terminus quidem *Scholastica Theologia* nobis occurrit, sed alia, quam vulgo recepta, ea formula utuntur significatione. „Theologia Scholastica," ita ALSTEDIUS [1]) „est sapientia supernaturalis tradens res divinas *ordine in scholis usitato*." Formula igitur illa ad id imprimis indicandum usurpabatur, quod et nos in cujusvis rei erudita expositione haud libenter desideramus. Idem ille „Theologia Scholastica" inquit „sic dicitur, quod proponi et exponi soleat ea methodo, quae convenit scholis atque adeo sit accuratior quam popularis illa, quae in ecclesia obtinet apud populum, cum in scholis non vigeat methodus prudentiae, quae dicitur exoterica et popularis, sed methodus sapientiae, quae dicitur acroamatica et scholastica." Eodem ille loco prae veteribus scholasticis in Reformatis laudat „rerum veritatem, verborum venustatem et methodi claritatem." Quod enuntiatum, si veterum scholasticorum scripta comparemus cum scholasticorum medii saeculi XVII operibus, quod ad horum formam imprimis attinet, pro magna parte improbandum; ratione vero habita eorum,

---

1) ALSTED., *Theol. Schol. didact.*, in praef. De ALSTEDIO ejusque operibus cf. SCHWEIZER in *Encyclopaedia* HERZOGII sub voce; GASS, l. l. T. I, p. 221—224, 412—416. Inter opera ejus maximum habet pretium ejus *Encyclopaedia universalis, septem tomis distincta*, cujus pars versatur in Theologia, quippe quae uberrimus fons sit, methodum cognoscendi, qua eo tempore et Theologia et aliae disciplinae tractari solebant.

qui initio ejusdem saeculi vel priore exeunte floruere, verum procul dubio habendum est. Scholastica enim illa, ut vulgo vocatur, docendi methodus nulla alia erat nisi docta et erudita rerum ad vitam Christianam et Theologiam pertinentium expositio. Nonnullos autem apud illius temporis theologos in rerum enucleatione inveniri terminos, cuivis haud perspicuos, non magis iis in vitium verti debet, quam nostro aevo aegre feramus virum quendam aliquam disciplinam tradentem aurei illius „qui bene distinguit, bene docet" memorem, technicam formulam, ad suam sententiam accurate enucleandam usurpare. Hoc evitari nequit; suam enim quaevis habet disciplina terminologiam, neque a theologis seculi decimi septimi, etiamsi voluissent, plane omitti tales formulae potuerant [1]). Quod ipse CALVINUS jam vidit [2]). Neque tamen propterea vulgari sensu jam scholastici dicendi sunt, quod tamen nomen multis ejusdem saeculi theologis cur majore jure applicari posse nobis videatur, mox videbimus.

---

1) Cf. SCHWEIZER, *Die Glaubenslehre der Evangelisch-Reformirten Kirche*, T. I, p. 101 „Man pflegt die schärfere Form des 17ten Jahrhunderts, als wiederkehrende Scholastik schlechthin zu tadeln; nothwendige Aufgabe jener Zeit war aber gewiss die schärfere Behandlung des durch die Reformation gewonnenen Lehrbegriffs".

2) Cf. e. g. l. l. lib. I, c. 16, § 9 „Non temere inventas in scholis fuisse videmus distinctiones de necessitate *secundum quid*, et *absoluta*, item *consequentis* et *consequentiae*; lib. IV, c. 17, § 30 „Trita est in scholis distinctio, quam me referre non pudet: Quamvis *totus* Christus ubique sit, non tamen *totum*, quod in eo est, ubique esse....." alibi.

§ 2.

De Scholasticismo inter Protestantes redivivo.

Vidimus quale de scholasticis eorumque nugis inanibus tulerint judicium Reformatores, et qui eos prioribus deinde decenniis secuti sunt theologi Protestantes [1]). Vidimus etiam quantae illis, mediam viam tenere conantibus, curae fuerit, ne, erudite Theologiae disciplina exculta, obscuris formulis et quaestionibus sterilibus res graviores vi et claritate spoliarentur. Sed mox, eheu! a laudata via plerique aberrarunt. Theologia philosophiae peripateticae denuo mixta, ingentem molem terminorum et distinctionum introduxerunt, et rebus sterilibus magno denuo labore incubuerunt, quibus tam verae Theologiae disciplinae, quam vitae Christianae valde nocuerunt [2]). Cui rei variae op-

---

1) Cf. ALSTEDIUS, l. l. „Transformata olim fuit Theologia in chaos quoddam conflatum ex Theologia, philosophia et mathaeologia, quod nihil pertinet ad essentiam Theologiae scholasticae, sed ad abusum illius; inter stercora occurrit apud scholasticos aurum."

2) Cf. A. SCHWEIZER, l. l., T. I, p. 102. „Auch eine üble Scholastik schlich sich bald hinein, d. h. eine Verfolgung von Stoff, die mit dem religiösen Bewustsein nichts mehr zusammenhängt, z. b. ausführliche Behandlung der Engel, ihres Falls, ihrer Praedestination, eine fast ontologische Gotteslehre, während CALVIN ins Licht stellte, wie seine theologische Sätze für uns bedeutend seien. Auch in der Eschatologie ergeht man sich in phantastischen Vorstellungen von schlechter Exegese an poëtische Stellen der Schrift wie an buchstäblich gemeinte angeknüpft. MACCOVIUS, MARESIUS, WENDELINUS überschreiten vielfach das religiöse Gebiet, und werden metaphysisch, d. h. verfolgen einen Stoff, der mit dem religiösen Bewustsein nichts zu thun hat, als Ding an sich. Sie vergassen also, mit KECKERMAN zu reden, dass die Theologie eine *disciplina*

portunitates ansam dederunt, quibus fit, ut vitium illud pro magna sane parte apud eos excusari possit. Quod uti lectori pateat, quam breviter praecipuas corrupti illius scholasticismi causas exponere conabimur.

Primum hic mihi ratio habenda videtur conditionis, qua erga Romano-Catholicos mox versati fuerunt Protestantes Nempe apud illos post Reformationem novus veluti ardor disciplinarum colendarum exstiterat. Hunc comitatum est amissum imperium recuperandi desiderium. Mox igitur ut aliis, ita et eruditis armis Protestantes aggressi sunt. Litibus inde ortis Protestantes ne succumberent, eadem, quibus hostes usi sunt, arma arripere inviti coacti sunt. Quibus autem Catholici armis instructi rem suam agere coeperunt?

Medii aevi Scholasticismus apud eos post Reformationem diligenter excultus fuit. Diversae lites hoc tempore in ipsa illa ecclesia Jesuitas inter gestae et Thomistas, plane scholasticum redolent characterem. Eundem characterem BELLARMINI [1]), magni illius ecclesiasticae doctrinae propugnatoris, scripta nobis ostendunt. Fuerunt imprimis Jesuitae, qui laudatam methodum secuti ecclesiae doctrinam acriter et subtiliter tueri conati sint. Scholas condiderunt primum in Hispania, tum etiam in Italia, eo potissimum con-

---

operatrix, *non contemplativa* sei, und mengten beides, d. h. Theologie und Philosophie in einander".

1) Praeter alia opera scripsit *Disputationes de controversiis Christianae fidei adversus hujus temporis haereticos*. De eo ejusque operibus Cf. THIERSCH in HERZOGII *Encyclop.* sub voce.

silio, ut quibuscunque eruditionis armis instruerentur ecclesiae Apologetae, ad feliciter adversarios refutandos [1]). ARISTOTELIS philosophia, imprimis Metaphysica, denuo intento labore tum ingenio acuendo exculta, tum Theologiae traditae sustentandae quam maxime accommodata est.

Viri inter eos exstiterunt, qui hujus Metaphysicae compendia et schemata ediderint, ut in scholis haec discerentur. Ut alios omittam, laudare sufficiat *Disputationes Metaphysicas*, a° 1605 a SUAREZIO *Hispaniensi* editas, cujus liber magnum eo tempore celebritatis nomen adeptus, mox quum apud Catholicos, tum apud Protestantes in usum venit.

Eum deinde secuti Theologi et Philosophi protestantes similia opera metaphysica scribere coeperunt, quorum studium ad Theologiam cum fructu elaborandam mox necessarium haberi coeptum est. Quam rem ne nimis miremur, ipsae temporis conditiones nos jubent. Studiis enim illis metaphysicis apud Romanae ecclesiae Apologetas ingenii acumen et disputandi dexteritas haud vulgari modo exculta fuerunt, quod magno iis emolumento fuisse in rixis cum Protestantibus, ore et scriptis continue gestis, facile intelligitur. Neque his igitur, nisi in doctis et subtilibus disputationibus adversariis succumberent, aliud quid superfuit, quam eam sibi acquirere mentis ingeniique dexteritatem, qua iis contingere potuerit, ut hostium acutas curiositates feliciter enervarent. At quomodo melius hic scopus attingi iis videri potuit, quam philosophicis

---

1) Cf. RITTER, *Geschichte der Philosophie*, T. IX, p. 547 sqq.

studiis ad mentem formandam sedulo adhibitis. In illis autem novam veluti viam aperire si tendissent Protestantes, et ARISTOTELE plane rejecto Metaphysica illa systemata inutilia et maxima parte absurda continere ostendissent, in posterum sane Theologia non adeo formalismo depravata fuisset. Sed, ut hoc facerent, nimius plerorumque erga Stagyritem amor impedivit [1]), neque vires non defuerunt. Semel vero viam antiquam ingressi non subsistere in iis potuerunt, quae valde exigua MELANTHON monuerat [2]). Systemate enim iis opus erat majoris ambitus. Quod ut sibi acquirerent, quid magis in promptu esset, quam ARISTOTELIS *Metaphysicam*, diu neglectam, denuo arripere et ab aliis accipere, quae inviti ipsi desiderabant.

Itaque SUAREZIUM aliosque secuti plures deinde inter Protestantes Metaphysicae et Logicae compendia componere coeperunt, quorum mox alia in aliis Academiis in usum venerunt. JAC. MARTINUS *Helmstadiensis* [3]); CHR. SCHEIBLERUS *Marpurgensis*, alii in

---

1) Cf. quae antea de MELANTHONE monuimus.

2) Cf. GASS, l. l. T. I, p. 197: „Der systematische Trieb überbot dessen (MELANTHONIS) einfache Entwürfe. Da es jedoch an selbständige Kräften gänzlich fehlte; so lies sich nur ein modificirter Aristotelismus herstellen, der wenig neues, dem Protestantismus eigenthümliches Leben besass. Die Wissenschaft war in der Lage einen philosophischen Unterricht zu brauchen und doch nur mit fremden zum Theil Katholische Hülfsmitteln liefern zu können". De MELANTHONIS philosophia cf. etiam RITTER, l. l. T. IX, p. 495—516; et LANDERER in HERZOGII *Encycl.* T. IX, p. 294—299.

3) De JAC. MARTINO cf. THOLUCK, *Der Geist der Lutherischen Theologen Wittenbergs im Verlaufe des* 17ten *Jahrh.*, p. 40. Praecipua hujus philosophiae in Germania sedes fuit Academia *Helmstadiensis*. Minus recte *Wittenbergiam* talem a nonnullis haberi idem nos docet in opere

Germania; in nostra patria DAN. VOETIUS [1]), magni GISB. VOETII filius, *Ultrajectinensis;* GISB. AB ISENDOORN [2]) *Harderovicensis*, alii magnum in illo genere sibi celebritatem adepti sunt.

Nostri non est horum systematum pretium vel argumentum, quod in omnibus ad idem fere redit, fuse exponere. Verbo tantummodo quaedam generalia monere mihi liceat, e quibus patere possit, quantum valuerint ad illius aevi formalismum augendum.

Versantur enim haec systemata in abstracta *Ontologia* s. doctrina de Ente, quae vulgo duabus partibus absolvitur. In priore parte de Ente abstracte sumto agitur. Quae hic de illo universe monita sunt, deinde in altera parte Enti concreto, sive ad infinitum sive ad finitum pertinet, applicantur. In utraque parte totius expositionis ratio ea est, ut plane fere *definitione*, *divisione* et *distinctione* absolvatur, quibus frequenter repetitis, rerum ordo et nexus fere pereunt, et omnia singulis quaestionibus dissolvuntur.

Sic in priore parte agitur de Ente universaliter et in abstracto sumto. Ens illud ut reale quid et non in intellectu tantummodo existens ponitur. Deinde accuratius illud circumscribitur et definitur. *Modi*

---

laudato, p. 55 sqq., ibidem p. 247. Cf. etiam HENKE, *George Calixtus und seine Zeit*, T. I, p. 62 sqq.

1) Cf. BOUMAN, *Geschiedenis der Geldersche Hoogeschool*, T. I, p. 365.

2) Primum Daventriae, mox Harderovici Professor, † 1656. Scripsit *Compendium Logicae peripat.; Physiologiam perip.; Ethicam perip.; Centurias effatorum philos.* De eo conferri merentur BOUMAN, l. l., T. 1, p. 162 sqq. et passim; KOK, *Vaderlandsch Woordenboek*, T. XXXIII, p. 290 sqq.

ejus essentiae distinguuntur; *attributa* ei attribuuntur. Quod ad modos illius Entis attinet, potest esse simplex vel complexum, positivum vel negativum', substantia vel accidens, potentiale sive actuale. Distinctio inter potentiam et actum ansam dat ad fuse agendum de *causis* et *causatis*, quae multis subdivisionibus primum submissae [1]), deinde ad quatuor causas praecipuas, quibus, uti jam ARISTOTELES monuit, omne ens determinari possit, referuntur: *Materiem*, *Formam*, *Causam efficientem* et *C. finalem* [2]).

Juxta modos illos Essentiae, affectus Entis metaphysici *unitas*, *veritas*, *bonitas* explicantur. Haec, ratione habita notionum, quas diversis Essentiae modis contineri vidimus, multis denuo subdivisionibus subjiciuntur, et quomodo Enti tribui debeant, relative an absolute, ostenditur, quod, ut quisque intelligit,

---

1) Apud S. MARTINUM, *Exercit. metaphys.*, *causa efficiens* hoc modo subdivisionibus subjicitur:

Causa efficiens per se et per accidens
physica moralis
immediatione virtutis aut suppositi
naturalis voluntaria
formalis virtualis
per transmutationem aut emanationem
αἴτιος συναίτιος
solitaria socia
propinqua remota
universalis particularis

Quae hic breviter de systematum illorum argumento narramus, fusius inveniuntur apud GASS, quem hic secuti sumus. l. l. T. I, p. 189 sqq. Idem conferri meretur de Theologiae hujus aevi cum Philosophia necessitudine. l. l. p. 178—235.

2) Cf. SCHWEGLER, *Geschichte der Philosophie*, ed. III, p. 73; SIGWART, *Gesch. der Phil.*, T. I, p. 145.

cum ratione, qua Ens ipsum versari cogitatur (positivum an negativum etc.) arcte cohaeret.

Quae autem hujusmodi in priore parte de Ente abstracte sumto monita sunt, in posteriore parte, uti jam diximus, ad Ens concretum applicantur. In ea de Deo, de angelis, de hominibus aliisque rebus creatis agitur. *Modi*, *affectus* vel *attributa* cum cohaerentibus distinctionibus, singulis pro ejus natura objectis tribuuntur. Quae de Ente antea universaliter dicta sunt, absolute de Deo valent. Absolute est simplex, verus, bonus; in eo discrimen inter substantiam et accidentiam, potentiam et actualitatem plane tollitur. Contra relative tantum haec de ceteris valent, unde uberrima denuo nascitur definiendi, dividendi et distinguendi ratio.

Quidquid autem de talium systematum pretio statuendum sit, magnam certe vim ea habuisse in cujusvis disciplinae, maxime autem Theologiae tractandae methodo, haud difficile est probatu.

Vidimus nempe quaenam notiones et nomina ubique fere in illis Metaphysicis redeant. Vidimus etiam eidem legi definitionis et divisionis ubique eas subjectas. Hinc factum est, ut omnis rerum ordo et nexus internus plane evanescerent. Totum fere nobis offert continuatam veluti seriem definitionum et divisionum, nominum et notionum abstractarum, quae vulgo singula in singulis capitibus enucleantur. Quibus si addimus futurum Theologum mature jam talia edoctum fuisse, haud sane mirandum videtur, tantam vim in theologicis ea habuisse, adeoque etiam in illis eundem Formalismum mox vigere coepisse. Facilius

hoc evenire potuit, quia in illis systematibus multas res, a patefactione sumtas, tractare et ad quaestiones, de talibus propositas, viri docti vulgo ita respondere solebant, ut vel unum alterumve Christianorum placitum commune, vel etiam peculiare quoddam sive Lutheranorum sive Calvinistarum iis affirmaretur [1]). Sic e. g. doctrina de Dei attributis, de angelis eorumque creatione, de animi immortalitate, de mundo in tempore creato saepe copiose tractatur. Ubique fere patet auctorum propositum id imprimis fuisse, ut ecclesiasticam doctrinam stabilirent, et rationis lumine confirmarent. Servam igitur quodammodo se praestans Theologiae, ab altera parte facilius vim suam in illam ostendere potuit Philosophia, suo charactere dialectico et formalistico ei imprimendo. Itaque victa denuo victrix se praestitit [2]).

Hic verbo etiam monendum nobis restat de Logicis et Dialecticis studiis, arcte cum Metaphysica conjunctis, et nullo alio tempore tanto ardore tractatis. Ingens eo tempore harum artium compendiorum copia prodiit, quae omnia eundem nobis sche-

---

1) Hujus rei diversa exempla ex MEISNERI *Wittenbergensis Philosophia sobria* apud GASS, l. l. p. 199 afferuntur. Duo haec sufficiant (Cap. 1 *de accedentibus*): *An propria unius rei possint communicari alteri diversae?* Refertur illa quaestio ad communicationem idiomatum. — (cap. 2 *de relatis*): *An relatio veram importet relatorum praesentiam?* Affirmant Calvinistae, ut CHRISTI in sacra coena praesentiam ad illam mutuam habitudinem unius ad aliud reducant.

2) Verissime GASS: „Wir haben ein Recht von einer, wenn auch nur geistigen nicht materiellen *Abhängigkeit* der Theologie von der Philosophie, sofern sie Pflegerin des gelehrten Zeitgeschmacks und der Zeitbildung war, zu reden". l. l. p. 199.

matismum, quem in Metaphysicis regnare vidimus, offerunt.

Neque in illa re non magnam vim habuerunt Jesuitae. „Scis enim" — ita BEATUS RHELIUS [1]) in Ep. ad BLAURERUM — „scis satis superque, quibuscum nobis hoc nostro saeculo congrediendum sit, non cum ignavis, non cum inertibus, non cum iis, qui, repudiato humaniorum disciplinarum cultu, Theologiae se consecrent, sed cum *astutissimis*, *exercitatissimis*, *in omni genere philosophiae versatissimis sophistis*, *Jesuitis*, *Jesuitis inquam*, *qui suis tenebris*, *spinis et fallaciis minus exercitatis tenebras offundere conantur*, *quod facile fieri posset*, *nisi nos iis armis instructi illorum tela atque ictus repelleremus*, *quibus nos petunt*."

Itaque jam in gymnasiis dialecticum ingenii acumen, aliis disciplinis nimis saepius neglectis, apud discipulos excultum videmus, eo maxime consilio, ut disputandi et subtiliter distinguendi et ratiocinandi mature jam dexteritatem sibi acquirerent [2]). Propterea de rebus futilibus et spinosissimis disputationes habebantur. *Rationum schemata*, et ingens regularum Logicarum numerus diligenter memoriae tradenda erant. Praesertim syllogismis rite formandis gnaviter incumbendum erat. In omnibus illis saepius ex Theologica disciplina ad rem illustrandam exempla eligebantur. Vulgo in Logicae illis compendiis dicta probanda pro-

---

1) Cf. THOLUCK, *Das Acad. Leben*, T. I, p. 237.

2) Quanti eo tempore, imprimis in Germania, Logicae artis peritia habita sit efficere possumus ex iis, quae nobis tradit THOLUCK de quibusdam, qui anno jam aetatis *decimo quarto* Logicae compendia ediderint, et commilitones illam artem docuerint. Cf. THOLUCK, l. l. T. I, p. 178.

ponuntur, quorum veritas syllogistica argumentandi ratione demonstratur, eorumque pretium in ecclesiastico dogmate tuendo ostenditur. Quid? quod saepius Catholici, Sociniani, Reformati, Lutherani, etc. hoc modo sophistice sua placita ut vera, adversariorum contra ex perversis conclusionibus factis, male in syllogismo termino *majore* et *minore* conjunctis, provenisse ostendere conati sunt [1]).

Sic videmus cuncta propaedeutica studia quam maxime instituta fuisse ad indolem scholasticam inter disciplinarum praecones fovendam, quae quam perniciosam vim in ipsis disciplinis tractandis habere debuerint, quis est, qui non intelligat?

Huic formalismo augendo magnopere praeterea faverunt lites post Reformationem non tantum inter Reformatos et Lutheranos, sed etiam inter hos singulos ortae. Magis magisque ab iis existimari coepta est ars polemica, quae Dogmatismo conjuncta, mox summum imperium in Theologica disciplina obtinuit. Novis deinde etiam confessionibus conficiendis lites illae ansam dederunt, quae si non *verbo*, *facto* tamen summam auctoritatem nactae sunt. Doctrina in iis deposita jam satis s. scriptura semel probata fuisse mox credebatur. Hinc exegetica studia in dies minoris

---

1) Exempla hujus rei affert GASS, l. l. T. I, p. 188, 189. Fuerunt imprimis Romani, qui hac in re sophistice argumentari solerent. Cf. COCCEJUS, *Potent. script. demonstr.* cap. XX; *Animadv. in* BELLARMINI *controversias*, p. 4, 18, 25, 26, 29 etc. Sed neque Reformati Scholastici hac in re plane excusari possunt. Cf. HEIDANUS in *epistola ad collegam Coccejum*, inserta COCCEJI scriptis *de sabbatho*, p. 82 sqq. Scripta laudata inveniuntur in cocc. Opp. omn. T. VII, ed. anni 1675.

momenti haberi, apud multos plane neglecta jacere coepta sunt, et locum Dogmaticae cesserunt, quae veluti materies tradita modo scholastico et formalistico, Metaphysicis notionibus adhibitis, exponebatur. Paulo fusius hoc ostendere conabimur, loquentes de Theologia in ecclesia Reformata-Nederlandica, ad quam nunc transimus.

§ 3.

De Scholasticismo in ecclesia Reformata-Nederlandica.

Theologia Reformata universe diutius quam Lutherana libera mansisse dici potest tanta mole terminorum, quos ex philosophia petitos in illa disciplina usurpatos vidimus. Diversa huic rei ansam dederunt. Nonnulla dogmata apud Lutheranos majore subtilitate tractata sunt. In Reformata ecclesia postea demum Aristotelica philosophia summum imperium obtinuit, apud plures Theologos initio praevalente studio RAMI, philosophi Gallici, CALVINI asseclae, ejusdemque acerrimi ARISTOTELIS adversarii [1]). Multi praeterea Theologi Reformati, CALVINI, celeberrimi illius sacrae scripturae interpretis, vestigia prementes, exegeticis studiis toto animo incubuerunt.

---

1) P. RAMUS *(Pierre de la Ramée)* † 1572. Scripsit *Institutionum dialecticarum libros* III; *Animadversionum in dialecticam Aristotelis libros* XX. Vitam ejus conscripsit LENS, *Historia Petri Rami*. Cf. BAYLE, *Diction. historique et critique*, sub voce. De philosophia ejus vid. RITTERUS, l. l. T. IX, p. 471—494. Cf. THOLUCK, l. l. T. II, p. 3 sqq.

Cujus rei plurium Theologorum, saeculo fere XVI exeunte florentium, scripta nobis documenta sunt [1]).

In nostra quoque patria eo tempore et postea haud unum virum doctum sacrae scripturae studio gnaviter operam dantem videmus. Exempla sunt GOMARUS, JUNIUS, DRUSIUS, LUDOVICUS DE DIEU, alii, quorum nomina laudasse satis est, ut in mentem revocem s. scripturae interpretationem a multis feliciter tractatam fuisse. Multos etiam in synodo Dordracena theologos fuisse a scholastica Theologiam tractandi methodo plane alienos, judicium latum a synodo de MACCOVIO, methodum illam sectante, satis nos docet. Neque postea, medio fere saeculo XVII, quum scholastica methodus magnam etiam apud nos in Theologia auctoritatem nacta esset, exegetica studia tam apud nostrates neglecta fuisse dici possunt, quam apud Lutheranos hoc contigisse historia docet. Semper enim fuerunt, quibus haec cordi fuerint, vel saltem apud quos haud plane quibuscunque subtiliter tractandis quaestionibus, locum cedere coacta sunt.

Attamen quae hucusque de scholasticismo redivivo universe monuimus, quamvis majore quidem ambitu ad Lutheranos referenda, tamen quod ad rem ipsam attinet, de ecclesia etiam Reformata-Nederlandica valere, historia abunde nos docet.

Quod, si ad temporis illius polemicam indolem attendamus, nequaquam miramur. Reformata enim ecclesia tam insignem locum inter Protestantes occupaverat ut quam maxime sua interesset, fidem contra

---

1) Cf. YPEY, l. l. T. I, p. 233 sqq.

omnes hostes acriter defendere. Praeterea frequens ei erat cum exteris ecclesiis commercium. Saepe theologi, quibus utebatur, vel ex alia regione oriundi erant, vel pro magna quidem parte extra patriam eruditam suam institutionem acceperant. In itineribus, ad hunc finem institutis, saepissime iis erat occasio cum aliis, imprimis cum Jesuitis [1]), de rebus ad religionem pertinentibus vel colloquendi, vel etiam alios cum illis disputantes audiendi. Domum reversi, et professione accepta, id imprimis sui officii esse putarunt, ut iis armis discipulos instruerent, quibus instructi feliciter cum omnibus adversariis congredi, et contra omnes objectiones doctrinam tueri possent.

Hinc factum est ut, ineunte saeculo XVII, et in nostris academiis vigere coeperint studia illa Metaphysica et Logica, de quibus antea monuimus. Disputationes mox magni habere, imo Theologiae studii animam in iis collocare coeperunt multi Theologi tam docentes quam discentes [2]). Mox apud multos sacrae

---

1) De nostra quoque patria valere, quae antea de Jesuitarum auctoritate universe monuimus, inter alios nos docet COCCEJUS in *Admonitione de principio fidei ecclesiae Reformatae ad* JAC. MASENIUM, *scholarum Dusseldorpiensium praefectum*, (Opp. Omn. T. VII, p. 6), ubi „vestrorum" inquit „o praefecte, lacunas diligentius adeuntes fimus μιξοβάρβαροι, partim Judaice, partim Asdodice (= scholastice) loquentes. De quibus verbis stramineis cum inter nos litigamus, desuescimus verba Dei et intelligere et loqui."

2) Ratione habita ecclesiae reformatae hac de re ita loquitur SCULTETUS *Heidelbergensis* (praef. in *Exercit. Evangel.)*: „Qui in scholis publicis sacra discunt hodie eorum plerique in errore versantur longe maximo. Hoc enim sibi firmiter habent persuasum, praeclare se studiis suis consulere, si saepe multumque de doctrina Christiana disputent". Et porro „Quod multorum aliorum errorum caput est, disputationes ipsam Theo-

scripturae perscrutatio et peripateticae philosophiae studium inter se mixta sunt [1]). Jam in synodo Dordracena Remonstrantes et Contra-Remonstrantes nimium usum terminorum scholasticorum sibi invicem objecerunt [2]). Lites inter illas partes gestae malum irrepsum magnopere auxerunt. Nova enim ab illo inde tempore polemicis et dialecticis studiis orta est occasio. Qui enim loci doctrinae a Remonstrantibus rejecti erant, iidem aptissimi erant, qui subtiliter et dialectice tractarentur. Multi praeterea Theologi, ne Remonstrantium, ex ec-

---

logise animam esse putant; et cum ex s. literis verum Dei cultum proximique amorem addiscere debeant, illi contra ex sophisticis disputationibus artem rixandi, altercandi, bene dicta pervertendi familiarem sibi reddunt..... Ordinem naturae in nostra patria vertunt (nostri juvenes), qui prius de religione disputare, quam penitus illam nosse volunt." Verba allata invenimus apud AMAMAM in oratione *de Barbarie*, p. 18, inserta ejus *Anti-Barbaro-Biblico*. Nimium illud disputandi studium saepius etiam vituperat COCCEJUS. Cf. e. g. Proleg. in epp. ad Thess. § 7. „Sunt, qui magis delectentur hominum dictis atque etiam concertationibus, in quibus ratiocinatio humana cum ratiocinatione simili, suspicio cum suspicione, conjectura cum conjectura, saepenumero etiam sophisma cum sophismate confligit", etc. De *Disputationibus* illis sive *thesibus*, a professoribus vulgo compositis, et a discipulis defensis, ad adversariorum doctrinam oppugnandam, Cf. BOUMAN, l. l. T. I, p. 24, 332—335. Cf. etiam THOLUCK, l. l. T. I, p. 240—246.

1) WALAEUS jam necesse habuit juvenes theologos monere „ne in philosophiae indagatione nimium temporis insumeretur, et speculationibus inutilibus aetas, quae serio impendi debet, tereretur; quas nullum extra scholas usum habere nimius illarum affectator cum damno suo tandem, etsi serius experiretur", addens porro „Quantum damni decreta ARISTOTELIS cum divinis dogmatibus conjuncta dederint ecclesiae, scholastica Theologia abunde testatur. Videndum ergo etiam atque etiam, ne in idem vitium denuo relabamur". Cf. Orat. *de studii Theologici institutione*, Opp. omn. T. II, p. 299 sqq.

2) Cf. YPEY, l. l. T. II, p. 56.

clesia ejectorum, partibus aliis fortasse addicti viderentur, eos imprimis doctrinae locos sibi tractandos elegerunt, de quibus antea cum illis lis exstiterat, magno sane damno exegetici studii [1]). Fuit imprimis dogma illud de decretis Dei et de praedestinatione, quod renovato ardore et acerrime tuiti sunt Theologi. Mox ei, aliisque dogmatibus applicari videmus omnes causarum categorias, omnes definitiones et divisiones eo tempore tantopere in disciplinis habitas, unde factum est, ut terminis obscuris et distinctionibus scholasticis multorum Theologica opera magis magisque referta sint; et Theologiae studium ad certa placita redactum sit.

Juxta illam subtilem dogmatum Christianorum expositionem nobis saepius etiam in illis occurrunt inanes quaestiones omni momento destitutae, cui rei praeter Metaphysicae, Scholasticorum quoque studium multum contulit, quorum scriptorum e. g. apud VOETIUM saepissime fit mentio. Sic saepius quaeritur „an lux primo die creata sit?" „an ea sit materia, sive qualitas?" „an sint aquae supercoelestes (Ps. 48 : 4)" „an homines in statu rectitudinis omnes eandem semper habuissent conditionem socialem?" etc. [2]).

Ne autem obliviscamur in tanta mole multa quoque inveniri scitu dignissima, et perversum eum de scriptoribus aevi XVII laturum judicium, qui, multis bonis et egregiis in eorum operibus neglectis, ad umbram

---

1) „Nostri studiosi eas tantum scripturae partes inspicere curant, quas ad locum aliquem communem vel controversiam definiendam ab aliis vident citari", AMESIUS. Verba laudantur ab AMAMA in *Oratione de Barbarie*, p. 19.

2) Cf. VPEY, *Geschied. der Kerk in de* 18de *eeuw*, T. VIII, p. 106 sqq.

tantummodo attenderet. Saepe enim quaestiones maximi momenti, ratione habita temporis, accurate ab iis tractantur, quod, nisi diutius nos detineret, facile ostendere possemus.

Nimis longum etiam esset, si de omnibus theologis scholasticis, qui in ecclesia Nederlandica floruerunt, fuse ageremus: ut tamen appareat ad quemnam Formalismum in nostra quoque patria Theologia dogmatica pervenisset, quum COCCEJUS publice eum oppugnare coeperit, non possumus non de nonnullis pauca in medium proferre. Quibus peractis clarius etiam patebit, quam vera sint quae antea de causis scholasticismi in Protestantium ecclesiis redivivi lectori communicavimus. Paulisper igitur subsistamus in MACCOVIO, MARESIO, VOETIO, Theologis eo tempore celeberrimis [1]).

---

1) Praeter laudatos ARNOLDUS, CLOPPENBURGHIUS, AMESIUS in priore vitae stadio, alique inter scholasticos memorandi sunt. De AMESIO et CLOPPENBURGHIO postea verbo dicendum erit. De ARNOLDO, MACCOVII discipulo et sectatore cf. VRIEMOET, l. l. p. 414 sqq.; YPEY, (l. l. T. II, p. 59) ad eos WALAEUM quoque refert, qua in re severius quam par est de viro illo egregio judicasse mihi videtur. Scripsit quidem vir magnus *Compendium Ethicae Aristotelicae ad normam veritatis Christianae revocatum*, ubi, ut ipse in prolegomenis, operi praemissis, dicit, „conatus est materias ab ARISTOTELE in *Ethicis ad* NICOMACHUM tractatas, collatis quoque ceterorum philosophorum opinionibus, compendiose proponere et errores in iis a se observatos ad veritatis Christianae normam corrigere", sed inde nondum concludi potest eum plane scholasticum theologum fuisse. Eum, studii Ethicae Christianae necessitatem intelligentem, ad systema condendum ARISTOTELIS auxilio usum fuisse, ratione habita temporis, quo Ethica illa disciplina nondum exculta, imo fere intacta a Theologis relicta erat, ne nimis miremur. Quod autem attinet ad ejus *Locos communes Theologicos* sane ARISTOTELICAS formulas haud frustra in iis quaeremus. Nec tamen tot dicendae sunt, quot lectionem impediunt. Vulgo clare, perspicue et venusto stylo res enucleantur. Ceterum de viro erudito

§ 4.

De praecipuis Theologis scholasticis in ecclesia Nederlandica.

Apud omnes viros doctos constat JOH. MACCOVIUM nisi primum, tamen inter primos fuisse et principem eorum, qui in ecclesia Nederlandica scholasticam methodum magnopere commendarunt [1]).

Ortus ille erat *Lobsenica*, urbe Poloniae, ex parentibus nobilibus. Paulo serius studia aggressus, linguarum notitiam minorem, quam par est, sibi comparaverat, quod ipse postea questus est. A parentibus *Dantsigium* missus, ibi BARTHOLOMAEO KECKERMANNO philosophiae praeceptore usus est. Quo auctore in illa disciplina ita profecit, ut mox inter aequales eruditione et imprimis disputandi solertia excelluerit, saepius et cum Jesuitis et cum Socinianis disputationibus feliciter habitis. *Lipsiensis* porro, *Vitenbergensis* et *Jenensis* academiarum lumina, imprimis BALTHASAREM MEISNERUM et JACOBUM MARTINUM, magni nominis eo tempore philosophos, audivit. Qua in peregrinatione magnam copiam eruditionis collegit, plurimisque exercitiis et colloquiis ingenium acuit. *Franequeram* profectus, ut eo duos juvenes nobilis stirpis comitaretur,

---

et magnopere de ecclesia merito, omnino conferri meretur disputatio BORSTII: ANTONIUS WALAEUS *in zijn leven en zijne verdiensten geschetst*, quae inserta est operi *Nederl. Archief voor Kerk. Geschied. door* KIST en ROYAARDS, T. VIII, p. 1—55.

1) Cf. YPEY, l. l. T. II, p. 56. BUDDEUS, *Isag. Hist. Theol.*, T. I, p. 415, 416.

a° 1614 ibi Theologiae doctor, et anno post professor primum extraordinarius, dein ordinarius creatus est [1]). Munere hoc fungens magnam mox sibi celebritatem acquisivit. Nec mirum. „Toto enim cursu professionis, ad extremam usque lineam diligentia institutionis publice privatimque eminuit, humilis, et si conversationis rationem spectares, sui contemtor, comis, apertus et obvius studiosis, qui ipsi se applicabant, ideoque ipsis carissimus. In sententia explicanda candidus, et minime tergiversator fuit, in exponenda et defendenda eloquens, promptus, acutus, acer." [2]) Hinc factum est, ut ejus collegia, tam privata quam publica, longe prae ceteris ab Academiae alumnis habita sint, qui postea vestigia magistri prementes, scholasticam Theologiam magnopere sectati sunt. Huius enim Theologiae MACCOVIUS, disputandi artis et sui temporis philosophiae [3]) peritissimus, acerrimus fuit propugnator. Plurimae disputationes, ab ipso vel ab aliis, eo praeside, defensae, talem characterem redolent. Testari hoc potest disputatio illa a° 1617, MACCOVIO praeside, *Franequerae* habita a THOMA PARKERO, *de traductione hominis ad vitam.* Ipse auctor coram lectoribus propter scholasticos, quibus usus est, terminos se excusat [4]),

---

1) Cf. COCCEJUS, *Oratio funebris*, Opp. omn. T. VI. ed. anni 1675.

2) Verba sunt COCCEJI, l. l.

3) Inter opuscula philosophica reperiuntur: *Logica; Systema physicum; Tractatus de anima separata; Metaphysica theoretica-practica*, postea denuo edita ab HEERBORDIO, philosopho *Leidensi*, atque *ad usum quaestionum maxime Theologicarum adornata.* Cf. VRIEMOET, *Athenae Frisiacae*, p. 158.

4) „Quia hic inter alios adversus *Jesuitas* disputatum est, ideo coacti fuimus, scholasticos eorum terminos retinere, ne istos immutando aut

qui revera tales sunt, ut studium philosophiae systematum, eo tempore vulgo receptorum, facile in iis agnoscamus. Nobis in illa disputatione exponitur, quomodo peccator, peccatis deditus, per CHRISTUM servetur, et ex morte ad veram vitam revocetur. In hujus argumenti expositione Deus vocatur *movens*, qui secundum absolutum decretum electum ad fidem *movet*. Objectum hujus actus divini sive electus *mobile* nuncupatur. Ipse actus est *motus* sive *exercita causalitas* agentis Dei. Motus ille est partim *moralis* (per verbum Dei), partim *physicus* s. *per physicam ingenerationem* (per Spiritum Dei). Novum denique principium bonum, quod per talem motum homo *passive* accipit, nobis ab auctore proponitur tanquam *res motu facta*, etc. Nec tamen tum propter res, in ea propositas, tum propter scholasticam methodum omnibus illa placuit disputatio. Quid? quod, ut MACCOVIUM tum haeresium, tum novae et inconsuetae docendi methodi apud synodum Dordracenam accusarent, nonnullis ansam praebuit [1]). Cur autem obscuris illis formulis in Theologia adhiberi voluerit, ipse nos docet in iis, quae, ad bene rem suam agendam, ad synodum tradidit. Sic de distinctione inter *causam physicam* et *causam moralem* loquens, „terminum hunc" inquit [2])

---

sensum pervertere, aut minus apposite efferre videremus. Ideoque rogandi sunt lectores, ut hunc procedendi modum aequo animo ferant."

1) Hac de re omnino conferri meretur HERINGA, *de twistzaak van den Hoogleeraar* JOHANNES MACCOVIUS, *door de Dordrechtsche synode ten jare* 1619 *beslecht*. Disputatio invenitur apud KIST en ROYAARDS, *Archief voor Kerkelijke Geschiedenis, inzonderheid van Nederland*, p. 505—664.

2) *Responsio posterior* MACCOVII *ad articulos sibi impositos*. Cf. HERINGA,

„usitatum esse ex Pontificiis et nostris scriptoribus patet. Ex Pontificiis BELLARMINUS, *quem, qui vult refutare*, debebat sane ipsius intelligere terminos, ne si unus quaerat de caepis, alter respondeat de allio? In ista etiam significatione utitur isto termino SUAREZ et latissime exponit, quid sit causa *physica*, *moralis*".

Nec tamen illa defensio Synodo satisfecit. Contra eum reprehendit, quod eas selegerit quaestiones disceptandas, quibus gravantur ecclesiae Belgicae [1]). Peccasse denique eum declaravit, quod *ambiguis nonnullis, et obscuro, scholastico loquendi modo* usus fuerit, quod *scholasticam docendi methodum* conatus sit in Belgicis academiis introducere. Suasit ei, ut non cum BELLARMINO vel SUAREZIO loqueretur, sed cum Spiritu Sancto.

---

l. l. p. 623. *Causam physicam* intelligit MACCOVIUS *eam, quae realiter effectum producit, moralem* vero, *quae causa rei est monendo, suadendo, praecipiendo*, l. l. p. 616. De terminis *movens, mobile* et *res motu facta*, cf. l. l. p. 617. „Quaerere, an hi termini in scriptura reperiantur, misera res est; est enim perinde hoc, ac si quis removere vellet a Theologia hos terminos: *causa, objectum, effectum*, et uteretur ad hanc rem isto argumento, quod in scriptura nec vox *causae, objecti*, nec *effecti*, nec aliorum terminorum logicorum occurrat. Hic dignus sane non *refutatione*, sed *commiseratione*".

1) Hoc spectat ad nonnulla placita a MACCOVIO enuntiata. Eadem postea scriptis mandavit. Praecipua ita se habent: „Deus non vult omnes et singulos salvos fieri voluntate signi". „Non modo non revelat verbum suum omnibus, sed etiam quibus revelat, sive quibus illud annuntiari curat, non eo fine annuntiari curat, ut illud amplectantur, sed ut ad illud impingant (I Petr. 2 : 8)". „Hinc etiam non omnibus dat oculos ad videndum, nec aures ad audiendum, et mentem ad intelligendum hoc verbum suum". „Quin non dat mentem ad intelligendum, sed etiam occoecat" Quidquid adhuc superest bonae mentis in multis aufert cet." Cf. MACCOVII *Collegia Theologica omnia*, T. I, ed. III, *de Praedest.* Disput. II, p. 5 sqq

Huic tamen saluberrimo consilio aures MACCOVIUM non praebuisse, satis superque docent, quae serioris temporis manu ejus conscripta exstant opera Theologica [1]). *Collegia* ejus *Theologica* continuatam seriem nobis offerunt disputationum, quibus praecipua Theologiae capita contra adversarios defenduntur. Ecclesiae doctrinae magno ingenii acumine in iis proponitur. Ad Remonstrantium, Pontificiorum et Socinianorum objectiones vulgo dialectice vel syllogistice [2]) respondetur. Subtiles distinctiones et termini obscuri, ex Metaphysica deprompti, saepius admittuntur [3]). Exegetica argumentatio nunquam fere fuse et pro rerum momento usurpatur. Saepius contra, philosophica plane argumenta ad rem suam defendendam ab auctore adhiberi videmus. Ut lectori pateat, quot saepe divisionibus res tractatae subjiciantur, et quantam vim in Theologiae tractandae methodo Metaphysica et Logica studia eo tempore habuerint, nobis breviter communicare liceat, quae apud MACCOVIUM scripta invenimus in disputa-

---

1) Praeter *Collegia Theol. omn.* nobis superest *Johannes Maccovius Redivivus, Franeq.* a° 1647 et altera editione priore multo locupletiore et correctiore a° 1654, continens: *Distinctiones Theologicas; Theologiam polemicam; Fragmenta praelectionum contra* ARMINIUM *pro* PERKINSIO; *Theologiam quaestionum; πρῶτον ψεῦδος Pontif., Socin., Luther., Armin., Anabaptistarum; Casus conscientiae ad normam doctrinae Socinianae per modum dialogi; Fragmenta praelectionum contra catechesin Socini; Anti-Socinum cum appendice de Atheis.* Cf. etiam VRIEMOET, l. l. p. 158 sqq.

2) Cf. *De Personarum divinarum pluralitate in essentia Dei*, l. l. T. II, Disp. XXXI. *De omnipotentia Dei*, l. l. Disp. XX.

3) Cf. *De Providentia Dei circa peccatum*, l. l. T. II, Disp. XIV. *De creationis causis*, l. l. Disp. II. sqq.

tione *de natura Theologiae* [1]). Hic breviter quasi agitur de Theologia, quid sit? de modo eam docendi, de principiis, vel, ut nos dicimus, de fontibus, unde eam haurire et de adjumentis, quibus in indagando uti debemus, nec non de fine, quem in homine attingere debet. Haec res ita fere apud nostrum procedit. Postquam monuit, Theologiam esse *disciplinam bene beateque vivendi in aeternum*, quae duplici modo, *rudiore* quidem *minusque exquisito*, vel *exquisito magis* proponi solet, fusius noster et distinctius agere pergit de disciplinae Theologiae *principiis*, quae huic schemati subjiciuntur: Principium est, a. *externum*, b. *internum*. Externum denuo duplex: a. *causa efficiens*, b. *finis*.

Causa efficiens est vel *constitutionis* vel *acquisitionis*.

C. const. est „ipse Deus, quia solus et unicus auctor est scripturae, quae sola et unica principium est internum Theologiae".

C. acquis. iterum dividitur, a. in *principalem*, b. *minus principalem*.

C. acq. princip. prima est „Deus, qui, cui vult, dat nosse mysteria regni coelorum per Sp. sct."

C. acq. princ. secunda est „diligens meditatio verbi divini".

C. acq. minus principales sive *Causae instrumentales* sunt „linguarum studium, potissimum Hebraeae et Graecae, artium, puto Grammaticae, Logicae et Rhetoricae, itemque Philosophiae".

Hisce de priore parte externi principii expositis, pars altera s. *causa finalis* Theologiae, quae est *salus*

---

1) Cf. *Loci Comm. Theol.*, p. 1 sqq., l. l. T. I, Disp. I.

hominis, attingitur; quam duplicem esse, *salutem viae*, s. conscientiae in hac vita tranquillitatem, et *salutem patriae*, ad felicitatis conditionem post hanc vitam possidendam, postquam auctor monuit; de *Principio interno* s. de *Verbo Dei* agere pergit. Verbum Dei consideratur vel *secundum essentiam*, vel *secundum accidens*.

V. D. sec. ess. est „ipsa doctrina coelestis", olim voce et postea scripto tradita.

V. D. sec. acc. est „verbum hoc ipsum", quatenus suo tempore litteris exaratum est.

Quem in *Collegiis Theologicis* observamus, idem Formalismus in caeteris operibus nobis obviam venit. Sic in *Theologia polemica* [1]) praecipua Theologiae placita, quaestionum forma, proponuntur, ad quas quam brevissime, argumentis allatis, vel negative vel affirmative ab auctore respondetur. Quo peracto adversariorum objectiones syllogistica vulgo forma citantur. Eadem deinde argumentandi ratio ad adversarios refutandos ab auctore adhibetur, verbis tandem sacrae Scripturae nonnullis adjectis [2]).

Quanti denique disputandi dexteritatem fecerit MACCOVIUS, prae ceteris ex ejus *Anti-Socino* nobis efficere licet. Huic operi copiosam praemisit *de modo disputandi cum adversariis* disputationem. Primum nobiscum auctor communicat, quaenam in disputando *externa*, quaenam *interna* observata velit. Haec fusius deinde explicantur tum *ex parte opponentium*, tum *ex parte respondentium*, tum *ex utriusque*. „Debemus" inquit

---

1) Inserta est *Maccovio Redivivo*.

2) Cf. p. 10, 11, 13, 17, 21, 35, 76, 164, alibi.

„perpetuo nos exercere, si nullum habemus adversarium, *ipsimet legendo, meditando.* Theologus Christianus est miles quasi..... Hoc imprimis impellere debet theologum ad hoc exercitium, tum quod sit omnium difficillimum, tum quod sit maxime necessarium"..... Hic tamen cavendum est, „ne occupemur circa *antiquas* haereses, sed circa *novas.* Velle enim cogitare de controversiis *Manichaeorum*, *Donatistarum*, etc. ineptum est, sed de *Pontificiis*, *Anabaptistarum*, *Socinianorum*, etc. id nostri officii est". Quibuscum ut feliciter quis congredi possit, regularum et distinctionum, tam universe, quam singulari modo in syllogismis [1]) observandarum, frequens numerus traditur, quarum plurimae vel futilissimae sunt, vel a quoque sanae mentis compote, sponte observantur. In illis tradendis saepius lectorem attentum reddit ad *Jesuitarum* „artificum mirorum in thesibus insulse ponendis" astutiam, cujus rei plura affert exempla. In posteriore parte disputationis auctor ostendere conatur „quomodo in specie cum Socinianis disputandum". Praecipua, de quibus cum illis lis erat, percurrit, placita eorum refutat, notionibus tamen et formulis Metaphysicis magis vulgo, quam verbis Scripturae adhibitis. Ceterum, ut ejus opera, ita totum hoc opusculum luculenter nobis ostendit, quantopere vir doctus inanis formalismi laqueis obstrictus fuerit.

Quae de MACCOVIO monuimus, quamvis minore

---

1) Eo tempore in disputando omnes religionis partes syllogismis crebro usas fuisse MACCOVII aliorumque opera luculenter nos docent. Ipse „nobilissimum" inquit „genus respondendi est, si enstasi contra majorem vel minorem allata, tollere possimus argumentum", Cf. l. l. p. 8.

ambitu, etiam de MARESIO, *Groningano* professore et theologo suo tempore magni nominis, valent. Polemica ejus opera tot sunt, quot nullus in ecclesia Nederlandica theologus reliquit [1]). Vehementissime saepius in illis in secus sentientes invehi solet, in illis etiam controversiis, de quibus salva fide dissensum aliquem permitti posse ipse judicavit [2]): quod odium Theologicum COCCEJUM etiam magnopere expertum fuisse, postea verbo narrabimus. In initio ejus professionis a Scholasticismo in dies crescente alienus, sententiam suam magis magisque mutavit; ita ut quae antea in theologo laudavit, mox reprehendere coeperit [3]). Aristotelicae philosophiae studium, salva tamen *orthodoxia* et *veritate*, theologo utilissimum habuit [4]). Neque in ejus operibus, quamvis MACCOVII scriptis simpliciore forma indutis, frustra hujus philosophiae vestigia quaeruntur. Saepius nobis in illis occurrunt peculiares loquendi formae et Metaphysicae de Deo rebusque divinis spe-

---

1) Vid. SCHWEIZER in HERZOGII *Encycl.*, sub voce. GLASIUS, *Godgeleerd Nederland*, sub voce.

2) Cf. COCC., *Consilia*, p. 5, 28, 29. Opp. Omn. T. VI.

3) In oratione funebri in H. ALTINGIUM a° 1644 habita, laudat hujus viri, qui theologus *scripturarius* vocari haud recusaverat, Theologiam, solidam ac masculam, non ex lacunis scholasticorum, sed ex fontibus scripturarum derivatam. Postea ipse COCCEJO nomen theologi *scripturarii* contumeliose objecit.

4) Cf. MARESIUS in oratione *de salute Aristotelis*, ... „Ejus lucubrationibus multum lucis accedere humanioribus disciplinis ultro agnoscimus, apud eos praesertim, qui norunt gemmos in stercore legere, pretiosum a vili secernere, et vasa ac spolia Aegyptiorum tabernaculo consecrare. Probamus *utroque pollice*, quod Ordines hujus Provinciae legibus suis Aristotelis philosophiam in suo Athenaeo, scilicet *usque ad aras* et *quantum patientur orthodoxia* et *veritas*, retineri praeceperunt, *nam virtus vel in hoste laudanda*".

culationes, eoque magis, quo ad posteriorem vitae partem referri debent. Inter opera, quae reliquit, magnam celebritatem apud aequales obtinuit ejus *Collegium Theologicum* s. *Breve systema universae Theologiae.* Octodecim hic disputationibus tota Theologia dogmatica tractatur. Vulgo res clare et sine multis ambagibus enucleantur. Sed saepius etiam in illo scholasticae philosophiae terminos in rebus definiendis et exponendis adhiberi videmus. Edidit postea, a° fere 1655, exegesin et apologiam Confessionis fidei ecclesiarum Belgicarum, quam *Foederatum Belgium orthodoxum* inscripsit.

Rogati ab Ordinibus Generalibus COCCEJUS ejusque collegae, ut librum examini subjicerent, multis nominibus hunc laudandum esse putarunt, vituperarunt tamen „loquendi formas auctori peculiares, luxuriantem omni genere quaestionum sylvam, crebram illam citandi auctores profanos consuetudinem, et terminorum scholasticorum et distinctionum frequentiam ac praeterea falsas ejus in adversarios suos structuras et dicteria, quibus hoc scriptum seu emblemate insignivit" [1]). In ultimo denique vitae stadio Scholasticismo prorsus deditus fuisse videtur. In *Sylloga disputationum*, quam a° 1660 edidit, plures Metaphysicae q. d. disputationes occurrunt. In singulis disputationibus seorsim agit de philosophia in genere; de terminis; de genere; de specie; de individuo et singulari; de proprio; de universalibus etc. [2]), barbaro ubique stylo, et ingenti quorumvis praedicatorum et distinctionum inanium mole adhibitis, ut fere medii aevi theologum

---

1) Cf. cocc., l. l. p. 28, 29. 2) *Syll. Disp.* T. I, p. 116—190.

legere te putes. Ceterum cum MACCOVIO linguarum quandam inscitiam MARESIUS communem habuit; linguae saltem Hebraeae plane fere ignarus fuit, ejusque scientiam nullius fere pretii in theologo habuit [1]).

Quaedam monere nobis superest de GISBERTO VOETIO, omnium Scholasticorum principe. Vir iste celeberrimus a° 1636 ad academiam, *Ultrajecti* eodem anno conditam, ut professionem Theologiae et linguae Hebraeae adiret, ex ministerio ecclesiastico, quo 23 jam annos versatus erat, vocatus est [2]), quo munere ad mortem usque functus est.

Qua fuerit in illo munere fungendo industria [3]), quanta pietate, tam in vita domestica, quam publica excelluerit, quantopere vitam vere Christianam inter academiae alumnos non tantum, sed etiam inter popu-

---

1) Cf. THOLUCK, l. l. T. I, p. 108. J. ALTINGIUS (in epistola ad amicum) „publice eum docuisse" scribit, „Ministris ecclesiae et ad eam functionem adspirantibus, non esse necessariam cognitionem linguae Hebraeae. Augustinum enim, caeterosque ipsi coaevos laudatos patres, fuisse doctores legitimos, et ecclesiam illa tempestate veram, atque in qua salvati fuerint, cum tamen omnes hac parte rudes exstiterint, uno Hieronymo excepto, qui meram invidiam et odium hoc pacto sibi concitavit. Proinde et nunc veram ecclesiam, verosque doctores esse posse, quamvis Hebraea ignorent." Cf. ALTINGIUS, *Opp. Omn.*, T. V. p. 374. Idem ille (l. l. p. 426) valde queritur, auctore MARESIO, „personare in auditorio Theologico philosophiam non sobriam solidamque, sed obscuram et sua barbarie admirandam, *ex scholasticorum paludibus et Jesuitarum cloacis* haustam". Ceterum MARESIUM plures discipulos sibi adjunxisse, quam ALTINGIUM, exegeticis et grammaticis studiis incumbentem, clare nos docet, inter tot rixas magis magisque apud studiosos scripturae studii amorem periisse.

2) † 1676, anno aetatis 87.

3) Cf. VOETIUS, *Politica Ecclesiastica*, Pars I, in praef. „Octonis lectionibus, praeter quotidiana privata collegia, et publicas disputationes, quaque hebdomade habendas, distringor ....."

lares colere studuerit, et saepius, suo ipsius commodo neglecto, id tantummodo egerit, ut aliis prodesset, hujus loci non est ostendere [1]). Nostri tantum est, nonnulla de scholastica ejus in disciplina tractanda methodo in medium proferre, quam in eo ad culmen suum in ecclesia Reformata Nederlandica pervenisse constat.

Quanto honore scholastica illa Theologia ab eo habita sit, diserte saepius ipse in operibus monet. Quamvis in theologis scholasticis multa vituperanda habet, tamen praeter alia id etiam iis laudem habendum esse censet „quod terminos et distinctiones multas rebus alioquin obscurissimis et difficillimis elucidandis excogitarint; quibus *mirifice juvari ingenium et memoriam hominis*, et *expeditissime* ac *tutissime* mysteria multa theologica explicari ac defendi nemo infitias ibit, *nisi solidae Theologiae ignarus*" [2]). Valde igitur scholasticae Theologiae studium commendat. Quid? quod ne eruditus quidem Theologus habendus est, qui in illa peregrinus sit. „Nam quomodo quaeso" inquit [3]) „poterit solide eam refutare, aut Pontificiis *hodie adhuc ipsius armis pugnantibus* resistere, si quidem eam nec legat nec intelligat"?

Neque ipsum mediocriter terminis istis usum fuisse, neque Theologiam istam leviter tantum attigisse, ut

---

1) Cf. GLASIUS, l. l. sub voce. THOLUCK, l. l. T. II, p. 214 sqq. MAX GOEBEL, *Geschichte des Christlichen Lebens* etc., T. II, p. 140—149. VAN BERKUM, *De Labadie en de Labadisten*, T. I, passim. *Nederlandsche Stemmen*. T. III, 1835 p. 152 sqq. Varia de viro judicia laudantur apud BURMAN, *Trajectum eruditum*, p. 422 sqq.

2) Cf. VOETIUS, *De Theologia scholastica*, inserta *Disp. Select.*, T. I, p. 26.

3) l. l. p. 28.

multa alia opera [1]), ita imprimis ostendunt *Disputationes Theologicae selectae*, (*Ultraj.* a° 1648—1669, ed^ae. V vol. 4°) quae systematis loco auctor nobis reliquit. In hoc opere nulla fere pars Theologiae silentio praetermittitur. Praeter multa dogmatica, quae ad ethicam et practicam Theologiam pertinent, fuse tractantur, immixtis insuper historicis quaestionibus, ut *de translatione papatus a Petro ad papam; de donatione Constantini; de translatione imperii a Graecis ad Francos; de Muhammedanismo*, aliis.

Raram auctorem eruditionis copiam habuisse; innumeros cujusvis fere aevi scriptores familiares sibi reddidisse; Aristotelicae Metaphysicae et Logicae, nec non dialectice et syllogistice argumentandi peritissimum eum fuisse, omnis pagina ostendit. Ubique res, de quibus agitur, maximo ingenii acumine enucleantur. Data occasione, cum Thomistis, Jesuitis, Arminianis, Lutheranis, Cartesio acriter et subtiliter disputatur. Porro ex quibuscunque scriptoribus, cujusvis aevi, tam philosophis quam theologis, ingens moles enuntiatorum affertur, quae vel refutantur, vel ipsius sententiae illustrandae serviunt. Imprimis ex ARISTOTELE, ex m.

---

1) Cf. e. g. *Politica Ecclesiastica*. In prolegomenis agit auctor de scientiae, seu disciplinae, quae *Pol. Eccl.* dicitur, *natura, causis, affectionibus, divisione, studio* et de *apparatu* ad hoc studium. Cap. 1. Natura ecclesiae institutae explicatur per ejusdem *genus, materiem, formam, causas efficientes et finales, affectiones, opposita, divisiones* etc. Omnes hae notiones singulae identidem dividuntur. Sic affectiones, s. propria et adjuncta ecclesiae institutae, sunt vel *positiva*, vel *privativa* vel *negativa*. *Positiva* sunt vel *magis absoluta*, vel *magis respectiva* vel *comparata*. Absoluta sunt partim *praerequisita*, partim *concomitantia*, et *consequentia*. *Praerequisita* sunt etc. l. l. p. 17 sqq.

aevi Scholasticis, ex SUAREZII, FONSECAE aliorumve Jesuitarum, quorum vix nomina nobis supersunt, compendiis placita allegantur, quae sive ipse auctor exponit, sive quae in ipsis fontibus, utpote in iis fusius exposita, a lectore investigari cupit. Praeterea, juxta barbaram Latinitatem, quas antea jam apud alios observavimus distinctiones, eaedem, sed multo plures etiam apud VOETIUM occurrunt. Singulae res innumeris *definitionibus*, *distinctionibus*, adjunctis *thesibus*, *problematibus* vel *quaestionibus* submittuntur. Nova quaeque distinctio novam profert, unde ne singularum quidem rerum ordinem facile sequi possis [1]).

Quamquam *doctam ignorantiam*, incertis conjecturis et quodlibetis et vanis speculationibus veterum Scholasticorum et Pontificiorum praeferendam esse haud uno loco diserte testatur [2]), ipse tamen in illorum vitium saepius incidit.

Sic de angelis quaerit [3]), „utrum sint locales an in-

---

1) Singulae res saepe tam fuse tractantur, ut earum argumentum librum satis magnum impleret. Sic disputationes *de Creatione* plus trecentis paginis continentur. Cf. l. l. T. I, p. 552—882. Verissime hac de re GASS, l. l. T. I, p. 460. „Etwas systematisches konnte er vor der Ueberfülle des ihn umgebenden, theils ererbten, theils aufgearbeiteten Materials nicht mehr hervorbringen; aber wie die Scholastik des Mittelalters sich späterhin in einzeln Excursen und quodlibetischen Fragsammlungen gefiel: so hat Voetius alle Kenntniss und Kunst in einer Menge bald kurzer bald buchmässig ausgeführter Disputationen niedergelegt, in einem bunten Vielerlei, wie es selten aus derselben Feder geflossen sein mag".

2) *De Atheismo*, l. l. P. I, p. 126. „Est enim et hoc scire, si certi sumus non posse aliquid sciri, aut non debere investigari; ita enim aliorum in hac parte errores tuto praetervehimur, aut ex alto despicimus". Disp. *de Theol. schol.* p. 23, 24. *De Hierarchia coelesti et angelis tutelaribus*, l. l. P. I, p. 882—906 passim.

3) l. l. P. V, p. 252 sqq.

locales? An, et quomodo localiter moveantur, mutuo continuo, an non continuo, in tempore an in instanti?" In disputatione *de spectris* de variis illorum formis seu apparationibus copiose nugatur; multaque nobiscum communicat, unde a superstitione eum non plane liberum fuisse, abunde nobis patet [1]).

Praeter Formalismum, VOETIUM cum aliis sui aevi Scholasticis communem etiam habuisse nimiam stabilitatem, idem opus nos docet. Hinc explicandum, quod saepius majore quam par est acerbitate in alios invehitur, quos nimis angustus ejus animus adversarios religionis eo habuit, quod semel fundatis non plane se obstringi passi sunt [2]). Contra prae multis sui ordinis eo excellit, quod linguarum notitiam haud vulgarem sibi acquisiverat, qua adjutus diversas scripturae partes tam Veteris, quam Novi Foederis, grammatice et exegetice saepius illustrat, quod unicuique opera ejus percurrenti facile patebit [3]).

---

1) l. l. P. I, p. 985.

2) „Bene inventis et bene constitutis nolle uti, sed ea per se aut alia velle de novo invenire est *multiplicare entia absque necessitate*, et ingenio ac eruditioni injuriam facere: *cum ars sit longa, vita brevis, experientia fallax*..... *Fallax* et *inutilis* est illa methodus inveniendi et constituendi scientias, ut quis *omnia inventa, omnia dogmata tot saeculis ab universo sapientium choro*, per subtilissimas argumentorum reciprocationes examinata et probata dediscat, obliviscatur, abjiciat etc." Cf. *de creatione*, l. l. p. 881. Ibidem de KEPLERI et GALILEI inventis infaustum ejus judicium.

3) Exegetica studia ab eo haud neglecta esse, patet etiam ex praefatione *Politicae Ecclesiasticae*, ubi diserte dicit, singulis hebdomadibus Psalmos, librum Danielem, et alia selecta V. F., ex N. F. epist. ad Romanos a se exponi.

Breviter causas atque indolem indicare studuimus Scholasticismi, medio saeculo XVII denuo in Theologiam Protestantium irrepsi. Patuit nobis, Jesuitis imprimis praeeuntibus, mox etiam apud Protestantes cultas fuisse ARISTOTELIS Metaphysicam et Logicam; quo factum est, ut mox in Theologia ingens numerus irrepserit *terminorum*, *distinctionum*, *divisionum*, quibus eam magis magisque inanem formalismum induisse constat. Praeterea hunc magnopere deinde crescere vidimus litibus Protestantium inter se gestis, magis magisque augente etiam symbolorum auctoritate, donec Theologia ad id tandem fastigium pervenit Formalismi, ubi eam pervenisse vidimus apud VOETIUM aliosque hujus temporis theologos, quibus praeeuntibus mox omnes fere, qui Theologiae incumbebant, quippe aliter non edocti, eandem viam ingredi coeperunt [1]). Si nostri esset, ut de ipso illo Scholasticismo ageremus, fusius quae diximus enucleanda essent. Quae de nonnullis in medium protulimus, in singulis clarius etiam proponenda essent. Hic tamen ea tantummodo narranda esse censuimus, quae scitu necessaria nobis visa sunt ad Theologiae statum quodammodo intelligendum, eo tempore, quo COCCEJUS Reformator ejus exstitit; ut, quaenam hujus viri merita sint, melius dijudicare possimus.

---

1) *Cf.* VAN DER WAALJEN in praef. ejus versioni COCCEJI *Summae doctrinae Foederis* praefixa. „In de schriften der godgeleerden was meer een ijdel vertoon van eene te zamen geraapte geleerdheid, meer een schor geluid van bijstere termen, of een hoop schoolsche verklaringen, dan een zamenhang van goddelijke wijsheid".

Ceterum, quae hucusque monuimus si breviter contrahimus, tribus notis characteristicis Scholasticismus ille denotari posse mihi videtur, inter quas singulas arctus nexus invenitur:

1°. Barbara ei propria fuit terminologia et dialectica vel syllogistica in rebus exponendis methodus, inde maxime orta, quod in singulis dogmatibus enucleandis praeter exegesin magnopere etiam Metaphysicae notiones et syllogistica dialectica adhiberi solebant.

2°. Singulis rebus accuratius et subtilius expositis, omnis diversarum rerum nexus internus in Theologia plane fere dissolvebatur, et contra de quaestionibus vanis et omni momento destitutis copiosissime saepius tractabatur.

3°. Studiis illis apud plerosque saltem nimis neglecta s. scripturae indagatio conjuncta fuit, nec non anxia in rebus semel constitutis stabilitas. Ex sequentibus nobis patebit, quomodo huic Scholasticismo COCCEJUS se opposuerit.

PARS ALTERA.

DE COCCEJO THEOLOGO ANTI-SCHOLASTICO.

Praemonenda.

Vidimus, quantopere magis magisque Theologia pulcram et simplicem formam amisisset, quam ei dederant rerum ss. instauratores. Sane illo etiam tempore haud defuerunt [1]), qui illorum vestigia prementes sola ex s. scriptura Theologiam haurire pergerent, sed pauci illi temporis cursum magis magisque, exegeticis studiis neglectis, ad scholasticam methodum inclinantem, retinere non potuerunt. Nec tamen inutilis labor illorum dicendus est. Viam veluti pararunt viro illi celeberrimo, qui ab initio stadii publici, multis obstantibus, intentis viribus et ingenti, qua eruditionis variae copia instructus erat, adhibita, id egit, ut Theologiae studium ad puriorem et simpliciorem methodum revocaret. Hunc scopum quomodo ille attingere studuerit, et quaenam fuerint causae, cur adeo ei

---

1) Uterque ALTINGIUS, pater et filius, alii.

invia fuerit Theologiae tractandae methodus, vulgo eo tempore recepta, in sequentibus ostendere conabimur. Quod ut nobis contingat, primum attendere oportet ad ejus vitam, studia et indolem.

Sic nobis patebit, *tum* quibus in pueritia et adolescentia usus fuerit conditionibus, quae tantopere valuerunt ut, acerrimus Theologiae scholasticae adversarius COCCEJUS exstiterit, *tum* qua ratione, publicam vitam ingressus, universe Scholasticismo se opposuerit, nonnullis etiam allatis, ex quibus viri characterem quodammodo cognoscere possimus. Quibus peractis in altera parte ad ipsam deinde ejus Theologiam oculos vertemus. Inter utramque igitur partem arctus est nexus, altera alteram compensante.

CAPUT I.

DE COCCEJI VITA, STUDIIS ET INDOLE.

§ 1.

De COCCEJO *puero et adolescente.*

JOHANNES COCCEJUS, uti vulgo vocatur [1]), a° 1603 *Bremae* natus est ex parentibus religionis amantissimis, qui eum, ut alterum TIMOTHEUM, mature jam ad legendas sacras scripturas incitarunt, quibus sapiens

---

1) Nomen familiare fuit COCK s. COCH.

ad salutem reddi posset. Parentum et proavorum, quorum haud unus de religione Reformata bene meritus fuit, vestigia premens in pueritia jam piam mentem erga Deum et verbum ejus ostendit, quae cum annis continuo crevit.

Quae domi a patre carissimo ei impressa erant, quum ad patriae paedagogium primum, deinde ad gymnasium illustre *Bremense* [1]) missus est, cura et diligentia a praeceptoribus exculta sunt. Mox quoque patuit, quanto amore et qua dexteritate linguarum studii COCCEJUS fuerit praeditus, quum peritiae linguae Hebraeae, non minus quam Graecae, jam tunc egregia dederit specimina [2]), qua adjutum s. scripturam diligenter eum perscrutatum esse, pro ejus mente, non miramur. Ipse hac de re ita loquitur: „Sive quod praeceptores suos et alios viros doctos per *φιλολογίαν* illustres esse, et ejus ope multum praestare videret; sive quod ab illis laudaretur ipsius studium et profectus, et propterea in honore esset apud commilitones suos, sive quod scripturas, quarum lectione capiebatur, intelligi recte non posse absque utriusque linguae cognitione persuasum haberet, sive Deus eum per haec omnia ad id studium traxit: in id praecipue incubuit" [3]). Itaque Metaphysicis aliisque studiis nequaquam ne-

---

1) De schola illa illustri cf. THOLUCK, l. l. T. II, p. 296 sqq.

2) Cf. VAN GORCUM, *De* JOANNE COCCEJO *s. codicis interprete*, p. 3.

3) Cf. *Vitae delineationem*, quam ipse poster, invitante DANIELE COLONIO, collega postea conjunctissimo, *Vitarum professorum Lugdunensium historiam* conscribere gestiente, in chartam conjecit, p. 4. Hanc post mortem patris filius continuavit, atque praefationi, operibus patris praemissae, inseruit.

glectis, maxime tamen cordi ei fuit scripturae interpretatio, praeeuntibus LUD. CROCIO et M. MARTINIO, cujus imprimis collationes de capitibus et libris s. scripturae libenter audivit.

A° 1625 *Brema* relicta, ut a Judaeis doctoribus Rabbinica scripta doceretur, *Hamburgam* profectus est, ex qua institutione ad sacras litteras interpretandas haud paucas sibi provenisse utilitates ipse testatur [1]). Nihil igitur COCCEJUS neglexit eorum, quae utilia ei visa sunt ad interiorem sacrae scripturae cognitionem sibi acquirendam. Eadem praesertim causa effecit, ut mox *Franequeram* adiret, ut ibi SIXTINUM AMAMAM, virum eo tempore celeberrimum, audiret. Magni momenti domicilium in illo loco COCCEJO fuisse arbitramur. Hic enim plures invenit viros linguarum studiis toto animo incumbentes, vita vere Christiana ornatos, sacram scripturam gnaviter indagantes, frigidis etiam quaestionibus scholasticae Theologiae acerrime oppugnatis.

SIXT. AMAMA [2]) Orientalium literarum erat peritis-

---

1) Cf. VAN GORCUM, l. l. p. 6.

2) Quam alienus AMAMA a Scholasticismo fuerit, omnia ejus opera ostendunt, quae hoc ubique fere agunt, ut Scholasticismum et neglectas s. literas reprehendant. Inter plura scripsit *Anti-Barbarum-Biblicum*. In praefatione de titulo agens dicit: „Cum illis potissimum mihi negotium est, qui linguarum originalium studia tanquam si nulli usui essent, proscribunt. Eos vel barbaros esse, vel barbarici patrocinium praestare, nullus, opinor, infitebitur. Istorum furoribus hunc librum opposui. Merito ergo *Anti-Barbarum* dixi. Addidi *Biblicum*. Nihil enim cum ista barbarie hic mihi negotii est, quae τὰς ἄλλας disciplinas superioribus saeculis defloravit". Vid. etiam ejus orationem *de Barbarie*, libro laudato insertam: „Quis vero sibi a lacrymis temperet, cum praesentem, piorum et scripturariorum Theologorum raritatem intuetur". Notissima

simus, et linguarum studium omnibus commendabat. Praeterea „vita ejus erat pia, sanctitatis erat sitiens, ut vere de eo dici posset, quod tota ejus voluntas erat in lege Domini. Hanc volvere, hanc meditari, hac vivere, hac se consolari, unica ejus oblectatio erat; ut impense diligeret omnes, in quibus pietatis zelum accensum videbat. Tales ille commendare, honorare, amore prosequi, ad colloquia admittere, et in familiaritatem recipere. Frigidos vero, languidos et negligentes amoliebatur et propulsabat" [1]).

Talem virum mox COCCEJO carum factum esse, haud miramur [2]), quem rursus ab illo magni habitum fuisse, testari nobis potest epistola a° 1629 ab ipso de COCCEJO ad MATTH. MARTINIUM lata [3]), quam hic pro parte afferre mihi libet, ut magni viri studia et ingenii vir-

---

etiam et propter eventum, quem habuit linguarum studio, maximi momenti est ejus *Supplex Paraenesis ad synodos, episcopos et super-intendentes ecclesiarum Protestantium, de excitandis ss. linguarum studiis.* Cf. hac de re VREEMOET, l. l. p. 173 et AMAMA, *Anti-Barb.* p. 150 sqq.

1) Verba sunt SCHOTANI in *Oratione funebri* in AMAMAM. Cf. VREEMOET, l. l. p. 175.

2) s. AMAMA, „rei literariae columen egregium, cujus in me tanta extant merita, ut me illa ullo tempore posse pensare desperem". COCC. in praef. ad *Sanhedrin et Maccoth.* Opp. Omn. T. VII. ed. a° 1675. COCCEJI „opera omnia" ter edita sunt (a° 1675, 1689, 1701); tertiae editioni *Anecdota*, vol. II a° 1706 adjecta sunt. Cf. VREEMOET, l. l. p. 319. Nos utimur prima editione a filio procurata.

3) Inserta est COCC. *Opp. Anecdotis*, T. II, p. 619. Ceterum COCCEJI literarum commercii duae exstant collectiones; altera in *Opp. Omn.* Ed. III. T. IX, (Ed. 1. T. VI) sub titulo *Epistolae et ex epistolis excerpta;* altera in *Anecdotis*, T. II, p. 617—818. quae inscribitur *Epistolarum συλλογή*. Ex hac citantes numero signum addemus, ut eum ab illa distinguamus.

tutes melius cognoscamus. „Ipsum" ita AMAMA „ipsum quod attinet, simul ac pedem in hanc academiam intulit, ita de eo judicavi eum cum summa utilitate juventutis posse Graecas vel Hebraeas vel Chaldaicas vel Syriss litteras, vel omnes istas simul in qualibet academia, et quidem cum incremento famae vel celebratissimae academiae docere. Eos enim jam tunc progressus in istis fecerat, ut nec a me, nec a PASORE quicquam discere potuerit. Ego certe de me profiteor, me multa ex ipso didicisse. Quidquid sit, idoneus est, qui vel Orientales literas, vel Graecas, vel Historiam sacram, vel etiam Theologiam in qualibet academia doceat. Video tamen, ejus genium magis ad literarum et praecipue Orientalium professionem et propagationem aurigari".

Franequerae degens cum GEORGIO PASORE, linguae Graecae professore, COCCEJUS in eadem domo vixit, cujus viri liberalis familiaris usus haud frustra ei fuit. Egregiae hujus viri animi ingeniique dotes a diversis laudantur. „Eas commemorare si aggrediar" — ita de eo FULLENIUS in *Oratione funebri* [1]), — „quid prius, quid posterius edisseram, vix video. Pietatem si respicias, in omni vita, actione, consilio religiosissimus fuit. Hominum de suis sive dictis, sive factis, judicia parvi pendebat. Voluptatem omnem in textus sacri quaerebat lectione et meditatione. Conscientia ipsi, raro inter mortales hujus aevi exemplo, actionum omnium testis erat et cynosura. Modestia, candoris et *φιλησυχίας* studio omnibus praelucebat."

---

1) Laudatur apud VRIEMOET, l. l. p. 241.

Quam pietatem et sacrae scripturae investigandae amorem ut apud AMAMAM et PASOREM, ita et apud GUIL. AMESIUM, quo praeter MACCOVIUM Theologiae praeceptore usus est COCCEJUS, invenimus. Post varia fata vir ille egregius a° 1622 cathedram Theologicam in academia Frisiaca conscendit. Scholasticismo, cui olim faverat, valedicto, in professione id prae ceteris egit, ut auditores suos „virtutem pietatis, et vitae vere Christianae" edoceret, quam practicam institutionem in variis ecclesiis desiderari admodum observaverat [1]). Animadversione dignissima mihi videntur verba ejus in *Paraenesi* ad studiosos [2]) conscripta, quae non minus ipsius auctoris, quam temporis indolem nobis ostendunt. „Tentavi ego anno praecedente, quia rem necessariam videbam omissam, an Theologia aliqua ex parte avocare possim, in academia saltem nostra, a quaestionibus et controversiis quibusdam spinosis, plexis et minus necessariis et ad vitam et praxin eam adducere..... Hoc enim est, quod pii omnes in academiis nostris diu jam, et nimis certe diu desiderarunt. Hoc ipsum miserandae Dei ecclesiae quasi jure suo ab omnibus academiis flagitant, quae prodi se et plane perdi clamitant, dum conscientiae hominum iis curandae mandantur, qui nullam hujusce rei artem ulla ex parte didicerint".

Egregiis illis viris familiariter usus non potuit non magis magisque alienari noster a Scholasticismo in dies crescente, quem etiam inter plures *Franequeranas*

---

1) Cf. praef. libro ejus *de conscientia et ejus jure vel casibus* praemissa.
2) Inserta est auctoris libro *de conscientia*.

academiae studiosos, MACCOVIO praeeunte, magnopere eo tempore sectatum fuisse, antea jam vidimus. Neque hoc praeter laudatas rationes non multum contulisse mihi videtur ad eum hostem juratum omnis Theologiae scholasticae reddendum, quod ibi magis quam antea alibi ei occasio fuit, hujus Theologiae perniciosam vim penitus cognoscendi. Quod si jungimus cum intimo tum linguarum studii, tum s. scripturae amore, quo a pueritia inde flagrabat, et quem praeceptores in provectiore aetate diligenter apud eum excoluerunt [1]), tum pio animo ex omnibus fere ejus scriptis nobis obviam veniente, satis intelligere possumus per totam laboriosam vitam hoc unice eum egisse, ut scripturae studium apud omnes Theologiae studiosos accenderet, ut, obscuris terminis et scholastica sui aevi methodo rejectis, biblicum dogmaticae Theologiae characterem imprimeret; quem scopum apud alios quoque ut attingeret, multorum contumelias et odium, quo afficiebatur, placido animo passus est. Pauca ex nostri juventute narravimus. Nunc ad publicam ejus vitam transeamus; iis imprimis relatis, quae ad scopum, quem nobis proposuimus, referri possunt, ceteris vitae fatis silentio praetermissis.

---

1) Minus recte VAN GORCUM in specimine laudato p. 10: „Neque hic praetervidendum, COCCEJUM Bremae ac Hamburgi, nec non Franequerae inter theologos maxime versatum fuisse *Melanthonianos* ac *Lutheranos*". AMAMA, PASOR et AMESIUS CALVINI sectatores erant. Idem valet de L. CROCIO et M. MARTINIO; in dogmaticis plane idem sentiebant quod Reformati, neque quidquam commune illi cum Lutheranis habebant. CROCIUS, JOH. CROCII frater, plura *contra Lutheranos* scripsit. Cf. HERZ. *Encycl.* T. III, p. 189. Ceterum universalismi defensor fuit. De MARTINIO cf. SUDHOFF, l. l. sub voce GOMARI, ubi etiam loci citantur ex *Actis Dordracenis*, qui MARTINIUM plane cum Reformatis fecisse ostendunt.

§ 2.

De COCCEJO *sacrae scripturae studium in publica vita commendante.*

Postquam, *Franequera* relicta, diversa Hollandiae oppida et in iis *Lugdunum*, ubi celeberrimis ejus temporis viris familiariter usus est, cum fratre adierat, in patriam redux et de itinere, in Galliam perficiendo, cogitans, morti succubuit MATTH. MARTINIUS, qua arrepta ansa, mox illustris scholae Ephori *professionem Theologicam* demandandam ipsi statuerunt. Quum autem LUD. CROCIUS et WILLIUS Paedagogearcha consilium dedissent, quia linguarum scientia pollere videbatur, ut ad eam rem potissimum adhiberetur, licet in illa re „aliquid sinistrius actum animadverteret", tamen in animum induxit, ut professor fieret absque titulo, nisi quod deinceps inventus est titulus *Philologiae sacrae*, sub quo titulo ipsi licebat facere, quae posset et vellet [1]).

In munere illo fungendo longe aliam viam, quam plurimi ejus temporis viri docti, iniit, ut discipulos Theologia instrueret. In pulcerrima oratione inaugurali *de Philologia sacra* [2]), quam professionem adiens habuit, sui aevi vitia aperte ostendit et vituperat. Acriter invehitur in eos, qui, „postquam grammaticae praecipuas regulas ac constructiones verborum mediocriter didicerint atque eo pervenerint, ut radicem

---

1) COCCEJUS in *vitae delineatione*.

2) Inserta est *Opp. Anecd.* T. [illegible]

explorare et psalmum unum atque alterum grammatice resolvere, et quod est in hac vel illa versione Hebraice possint agnoscere, satis se philologiae sacrae operatos esse existimant et statim magno impetu veluti Icariis pennis ad Theologiae interioris adyta se propripiunt, controversiarum incertissimum pelagus ingrediuntur, concionandique partes sibi magno animo et fiducia deposcunt." Veram inter Theologiam et philologiam arctum nexum esse luculenter ostendit. „Theologus enim quando, velut apes ex floribus mel, ita intelligentiam ex verbis veluti sugit, eo ipso est philologus; philologus vicissim, quando, veluti eaedem apes succis herbarum favos explent, ita ex variis notitiis habitum quendam absolutum colligit, hoc facit ut theologus." Quapropter Theologia „si sese a sacra philologia separet, vel nudam humanae traditionis habebit auctoritatem, vel si qua fide digna erit, eam merebitur a doctrinae consensu, qui tamen perrarus est, vel quem jam, eheu! concepit copiosissimum foetum rixarum, et contentionum inanium, et otiosarum logomachiarum pariet." Quid igitur cogitandum de iis, qui studia philologica suspecta reddant dicentes gignere ea *novatores* et *haereticos* atque reddere ad studium Theologiae ineptos? Illis „jurare" inquit in „alius verba, id est esse orthodoxum, non sacrarum litterarum ebibere medullas, sed de rebus divinis et Metaphysica ARISTOTELIS vitilitigare, de vocibus terminisque humanis contendere, hoc est esse theologum [1])."

---

1) Plura ex ea oratione apud VAN GORCUM, l. l. p. 11 sqq.

Ex hisce quodammodo efficere possumus, quaenam Theologo studia maxime necessaria noster habuerit. Unice fere fuit sacra scriptura, quam renovato ardore perscrutandam commendavit. „Equidem" inquit [1]) „ex quo tenuitati meae in ista schola statio assignata est, cogitare non destiti, qua ratione partes meas ita exsequerer, ut et quae fructuosissime possem meditarer, quaeque omni labore ac diligentia essem assecutus, ea quam plurimis prodessent, quo omnes intelligerent, quanti facerem, eam sortem a Domino accepisse, ut die ac nocte divinam liceret sapientiam in elogiis ipsius contemplari, eamque aliis pro modulo gratiae ipsius ostendere atque patefacere". Mox *Bremos* egregiis discipulis gavisus est, quibus omnibus familiariter usus est, eos autem prae ceteris amans, quibus exegetica studia cordi esse videbat [2]).

Nec tamen patria diu cive celeberrimo frui potuit. A° 1636 *Franequeram* vocatus est, ut in hujus urbis academia professionem *Hebraeae linguae* acciperet. Diu haesitavit, antequam vocationem secutus est. Durum enim ei erat, ut ipse scribit in epistola, ad Curatores academiae Frisiacae missa [3]), abire a patria, a suis, a parente, sene, aegro, afflicto, ab officio jucundo, a juventute modesta, collegis optimis, amicissimis atque

---

1) In *dedicatione* praemissa commentario in *Ecclesiasten*.

2) Inter eos primum locum occupant GRONOVIUS, DALENIUS, PERIZONIUS, HEILBRIGIUS. De hoc sic loquitur noster: „Amo ipsum ob ingenii amoenitatem et bonitatem, modestiam, diligentiam, pietatem, aliaque egregia dona, quae in ipsum divina contulit miseratio. Amo autem *vel maxime ob amorem erga sacras literas*, quodque ad felices in sacra philologia profectus faciendos propemodum factus videtur". Epist 16*.

3) Epist. 26*.

conjunctissimis, denso non in vitam tantum, sed et post vitam ejus superstitibus assignata. Nec tamen vocationem recusare ausus est. „Majorem enim docendi campum in illustri loco et populosa provincia, undique Reformatis ecclesiis referta, apertum iri, augurati sunt boni quidam; si quidem" — ita pergit, ut exprimat quanti sua interest s. scripturam diligenter omnes perscrutari — „si quidem vigeant Synodorum decreta, quibus candidati ministerii *ad fontes verbi Dei deducuntur*, sique professores Theologiae ii sunt, qui salutarem sapientiam magis e puris fontibus, quam ex *hominum scriptis* et *splendidis speculationibus* ac *inanium verborum conflictibus* hauriendi auctores sint juventuti. Quod ego item auguratus, qua sum voluntate atque amore fontes sacros quam plurimis reddendi suavissimos et amabilissimos, stationem, quam mihi V. A. offerunt, in Dei nomine accipere decrevi".

Franequeram profectus eodem, quo antea ardore in s. scripturae studio commendando et in ea explicanda perrexit. Testantur hoc commentarii, quos per quatuordecim annos in diversas s. codicis partes edidit [1]). testantur hoc alia opera eo tempore ab eo edita, quibus doctrina Christiana verbis scripturae, scholasticis terminis haud immixtis, ab eo exponitur [2]). Testatur hoc etiam ejus *Consilium de agendis ad incitationem studiorum Theologicorum ex usu academiae et ecclesiae*

---

1) Commentarii ex ea periodo exstant, in *principium epist. ad Ephesios;* in *Colossenses*, in *Minores prophetas*, in *Jobum*.

2) *Summa doctrinae de foedere et testamento Dei; Considerationes in ultima Mosis;* alia.

Fristacae [1]). Pulcerrime in illo loquitur de ecclesiae pastoris officiis, summaque gravitate ostendit, quanti intersit, ut vir, insigni illo munere fungens, scripturae sacrae versatus sit. Nonnulla ex eo referre ad melius nostri pium mentem cognoscendam, haud inutile mihi videtur. „Scopus studii theologici academici hic est maxime, ut qui in bona conscientia se dederunt ad serviendum Deo in regni sui promotione, quum ad id opus vocandi sunt, idonei ad id peragendum reperiantur. Id opus est docere rudes, redarguere errantes, corrigere lapsos, ducere et regere cum disciplina in via justitiae. Ideirco ante omnia debent esse apti ad τὸ ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ h. e. verbum Dei recte et erecte ad captum et conscientiam auditorum qualiumcunque loquendum. Quippe homo Dei non est instructus ad opus illud suum faciendum, absque scripturae non mediocri, sed ea cognitione, quam habens merito appellari possit „*potens in scripturis*". Postquam haec fusius exposuit, indicare pergit in pastore ecclesiae requiri ....." notitiam Christianorum virtutum et vitiorum, atque omnino casuum conscientiae [2]); judicium laboremque in meditando aut cum aliis scrutando; memoriam in retinendo firmam; eloquium ad docendum prudens, ad monendum et terrendum grave, ad consolandum cum circumspectione et sine adulatione benignum; animum ad conversationem cum humilibus discere cupientibus, demissum, lenem, placidum. Si haec adsint, spes

---

1) *Opp. Anecd.* T. II, p. 503 sqq.

2) In hoc enuntiato discipulum AMESII agnoscimus.

est opera doctorum futurum, ut verbum Dei copiose habitet in quavis ecclesia; si desint, obsistitur profectibus auditorum, ut semper discentes nunquam ad cognitionem veritatis perveniant et omni vento doctrinae facile circumagantur" ..... Porro conventicula exegetica introduci monet, quorum frequenti usu ecclesiae membra erudiantur. „Introducantur" inquit [1]) „in ecclesias omnes hujus Provinciae catechisationes eorum, qui eis uti et suos eis subjicere voluerint; et pastores assuefaciant suos auditores colloquiis privatis inter paucos de pietate, in quibus *sensus scripturae indicetur, difficultates enodentur, ratio concionum reddatur*".

Ut apud alios s. scripturae studium commendavit, ita et ipse maxime illo delectatus est. „Vivimus", inquit [2]) „quando ea, quae Dei sunt, cogitamus, et in eis deliciamur. Inde aversi languemus. Me quod attinet in ea, quae me circumvallat, infirmitate, verba Dei, quoties ad ea revertor, mihi videntur diem afferre in nocte. Quumque me officium meum, in quo collocatus sum, ad ea meditanda et de iis loquendum

---

1) l. l. § 7. Haec conventicula non plane eundem finem habuerunt, quem postea SPENERUS sibi proposuit, quum *collegia pietatis* conderet. Haec magis spectabant pietatem et aedificationem, illa vero primo loco ipsam scientiam scripturae et exegetica studia inter populum augere debebant. Majorem igitur conveníentiam habebant cum *collegiis* q. d. *propheticis*, sicuti olim extiterant in ecclesiis *Genevensibus* et *Tigurinis*. Cf. THOLUCK, l. l. T. II, p. 358.

2) Verba inveniuntur in dedicatione *Cantico Canticorum* praemissa. Commentarium illum edidit a° 1665, quum jam ad senilem aetatem pervenisset. Dedicavit eum ELIZABETHAE, FREDERICI regis *Bohemiae* et *electoris Palatinae* filiae, quacum COCCEJUS commercium epistolarum habuit.

adstringat, ex animo gratias ago Deo, qui me ad id ministerium adduxit. In quo dum senesco, dum datur occasio aliquid cum pluribus communicandi de cogitationibus meis, ei me non immorigerum praebeo". Plura similia ex COCCEJI scriptis afferre enuntiata, haud difficile esset [1]). Sed videamus etiam quid de philosophicis studiis noster opinatus sit.

§ 3.

De loco, quem philosophiae in Theologicis COCCEJUS *assignavit.*

COCCEJUM maximo odio erga philosophiam, eo tempore a theologis vulgo tanti habitam, affectum fuisse, ex praecedentibus jam intelligere possumus. Ubique fere in ejus operibus contra illam eum certare videmus, amicos quoque, multorum contemtu neglecto, ad idem certamen quum incitat. Ex multis pauca ex epistolis ejus afferimus. Epist. 193* „Pauli verba nobis sunt aenigmata, ita assueti sumus terminis scholasticis, iisque delectamur, ut in emphasin phraseos Spiritus Sancti inquirere fastidiamus, unde fit, ut eos, qui eadem utuntur, non probe intelligamus." Epist. 385*: „Utrum plures essent, qui nobiscum [2]) vellent loqui idem, h. e. scripturarum verba et sententias narrare et exponere. Sed tacendo id non efficiemus, certe nobis allaborandum puto.....

1) Cf. etiam Ep. 122; Ep. 173* alibi.

2) Missa est epistola ad F. BURMANNUM.

Inter humanas voces et conjecturas varias vix senes eluctamur ad cognitionem verbi Dei..... Mihi plane videtur necessarium ea, ad quae pervenimus, constanter et similiter dici, et ea, quae non sunt solida, quaeque sunt inutilia et verba noxia aut litigiosa, aut non habentia vim λλαγῆς et carentia auctoritate divini testimonii omitti". In epist. 138, JAC. ALTINGIO data, „non dubito" inquit „quin te sacrae scripturae vindicem habiturae sint, quae flagellitiose[1]) a multis contemnuntur et ignorantur. Neque dubitandum tibi, quin habiturus sis persecutores scholasticos sive amatores λλαστῶν ἀνθρωπίνης σοφίας λέγων, qui nolunt discere. Imprimis honoraberis titulo critici et grammatici. Sed tu ne puta crimen esse τὸ εἶναι κριτικὸν et διακριτικὸν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, et δοκιμαστικὸν τῶν διαφεροντῶν, et ἀκριβῆ ἐν λέγῳ τε καὶ ἐργῷ, neque γραμματέα μεμαθευμένον εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν" Ep. 91: „Perversa sunt tempora. Crimen est putare.... verbis scripturae dici melius, quam theologi repente ex philosophis

---

1) Revera eo tempore scripturam s. a multis neglectam fuisse etiam aliunde confirmatur. Nobis narratur GOUSSETI exegeseos *Groningae* professoris auditorium ad unum tandem auditorem redactum fuisse. Quod quum vidisset Exegeticus „*Tres faciunt collegium*" dixisset „*Ego, tu domine, et Deus; ergo ad rem*". Vid. THOLUCK, l. l. T. I, p. 108. Minus recte idem monet, *Franequerae* cathedram illum habuisse. Cf. HOOGSTRATEN, *Woordenboek*, sub voce. Simile quid legimus in ep. a° 1636 ab HEILERSIGIO ad COCCEJUM scripta (*Opp. Anecd.* II, p. 636): „Quum ante menses aliquot *Ultrajecti* essem, cupido incessebat audiendi lectionem Hebraicam. Affirmo tibi, vidisse me in optimo professore *vivam imaginem Baptistae*, qui fuit vox clamans in deserto. Adeo exiguus erat numerus auditorum". Eodem modo HOORNBEECKIUS, ceteroquin in multis a COCCEJO discrepans, multorum aequalium scripturae studii negligentiam damnat, „nimis leviter et frigide sacra illa prima praecipuaque curantium". Cf. *Opp. Anecd.* II. p. 689.

facti dicunt. *Haec res me cogit, ut non desinam scribere*".

Magno ejus philosophiae Scholasticae contemtu decepti fortasse viri iique celeberrimi [1]) putarunt, COCCEJUM amicum fuisse philosophiae *Cartesianae*, quae eo tempore in nostra imprimis patria vigere coepit et multum etiam contribuit ad ARISTOTELIS auctoritatem delendam. Alter enim ab altero plane alienus fuit. Quid? quod ipse COCCEJUS ex ignorantia novae hujus philosophiae, et ex male intellecto ejus principio „de omnibus dubitandum esse", initio plane ei infensus fuit. A° 1650 in editis *Ultimis Mosis* (§ 74) ratione habita laudatae philosophiae loquitur de *nova hoc tempore pullulante peste* illorum, qui animum inducunt dubitare an ipsi sint, videant, audiant..... „Miseros" inquit „mortales, qui contra sensum suum ratiocinantur, ut dubitent sese esse, et ut audeant se profiteri infideles et *ἀθέους*, certe quidem dum volentes dubitant". Sed, ut dixi ex male intellecto Cartesianorum principio hoc enuntiatum explicandum. Eodem enim anno *Lugdunum* Theologiae professione, quae FREDERICO SPANHEMIO mortuo vacabat, ut fungeretur, vocatus, mox ab HEIDANO [2]) collega nec non familiarissimo amico

---

1) Sic HASIUS, *Kirchengeschichte* (7te Aufl.) p. 521 dicit: „Durch DESCARTES *gebildet* forderte COCCEJUS eine rein biblische Glaubenslehre, in dem die Bibel ihm alles war und alles bedeutete".

2) Praeter HEIDANUM collegam noster habuit JAC. TRIGLANDUM, cui a° 1654 mortuo successit HOORNBEECKIUS, cujus mortui a° 1666 locum occupavit VALCKENIER. Ante eum vocationem professionis acceperat JOH. HENR. HOTTINGERUS. Quam libenter cum COCCEJUS collegam habuerit, patet ex epist. ei hac de re scripta, quae characteristica est ad COCCEJI mentem de erudito theologo cognoscendum. „Est" — sic scribit in ep. 130 — „Est in te R. Vir. (quod facile, ut non adulabunde dictum, quod

meliora doctus est. Tum ipse intelligere coepit, quae antea de dubitatione monuerat, non valere de CARTESIO, sed contra de iis, qui principio, per se haud malo, abutentes, libenter et cum amore scepticos se praestabant. Quum igitur a° 1669 novam editionem ejusdem operis curare vellet, amico BURMANNO, cui opus curandum dederat, roganti ut notum locum „de dubitatione" omitteret, respondit [1]), ad paragraphum illam tollendam se non propendere, sed paratum esse ad eam fusius explicandam, „ceterum *Cartesianos non posse putare de se dictum esse*, quod ibi monuerat. Nam et in priore editione *tacite* eorum institutum se laudasse". Ibi enim haec legimus: „Non est damnanda modestia ejus, qui dubitat, utrum satis vere perceperit quod videtur percepisse, et an omnibus quibus potest argumentis confirmatus sit ad credendum fortissime quod credit... Interim non sunt extra culpam caecitatis et surdidatis, qui de religione opinantur, ut lubet, sequentes cursum temporum et locorum, quae vulgaris noxa est: dum etiam id, quod verum est, homines *nesciunt quare credant*, in quos convenit dictum Servatoris: *Cito accipiunt, sed non habent radicem.*"

---

scis, me non consuevisse, accipies) id quod nobis spem facit, non tantum optime inter nos convenire posse, sed etiam consensum nostrum non carituram pondere. Quod Paulus Timotheo dicebat, id tibi dico palam: *a pueris sacras litteras novisti*. Nosti melius, quam fere omnes nostri saeculi, ingenium et proprietatem sacrae dictionis. Adferre etiam potes ornamenta ex Orientalibus linguis et scriptoribus ecclesiasticis et historia ecclesiae, quanta vix ullus. Utinam igitur possemus te nancisci collegam et συνεργὸν in Domino etc." Intimi COCCEJUS voti quominus hac in re compos fieret, mors infausta HOTTINGERI impedivit. Cf. Epp. 143 et 144; vid. etiam THOLUCK, l. l. T. II, p. 366—370.

1) Cf. Epp. 440* et 441*.

Liberam igitur COCCEJUM et gravissimam rerum indagationem animo propugnasse, neque CARTESII de vera dubitatione principium postea prorsus contemsisse, patet. Ne tamen quis haec legens putet, magnae postea ei curae hanc philosophiam fuisse. Audiamus ipsum hac de re loquentem. Sic etiam videbimus, quale pretium universae philosophiae tribuerit, qualem locum ei in theologo informando cedere voluerit. A° 1669 LUD. TRONCHINO professori *Genevensi* haec scribit [1]): „... De philosophia *Cartesiana* memini me ante sex pluresve annos ex improviso interrogatum a Consulibus hujus urbis (*Lugduni*), quibus satisfeci, quum dicerem, duas quaestiones, quas in Metaphysica tractat „Deum esse" et „animam non esse materialem" etiam a me esse adstructas et similibus argumentis et aliis, sed *ex scripturis firmatas* [2]). Quod ad me attinet nondum mihi licuit eam philosophiam perdiscere, maxime in Physicis et Metaphysicis, in quibus videtur multum praestitisse CARTESIUS. Voce *dubitatione* infeliciter usus est CARTESIUS. Arripiunt hoc vocabulum illi, qui veritatem non amant, et putant, se philosophice agere, quando semper excipiunt et obloquuntur, et nunquam

---

1) Ep. 181.

2) Mero igitur casu nonnulla COCCEJUS cum CARTESIO placita communia habuit. Idem hoc valet de COCCEJI sententia de *Omnipraesentia Dei*, in qua multi aequales CARTESII sententiam haud improbasse cum collegerunt. Vid. Ep. 170, ubi etiam haec legimus: „Quae sit sententia CARTESII, ignoro. Ego professor (!) fui, antequam CART. nominaretur, et non putavi ad me pertinere scire, quid is sentiat, et, ut rem dicam, ipsius sententiam adhuc *ignoro*, aut si scivi, *oblitus sum*. Ignoro etiam, qui theologi sententiam ejus rejecerint, neque id inquiro. Habeo, quod agam, aliud".

veritati dant manum. Dubitant, ut dubitent. Et tales experimur quosdam Anti-Cartesianos. Collega HERDANUS valde probat Cartesianam philosophiam. Sed patitur *me ejus ignarum*. De FALCONERIO [1]) nondum scio, quid sentiat. Neque valde de eo solliciti sumus, dummodo in Theologia sentiamus idem, et non *ἔδρᾳ*, sed certa cum demonstratione veritatis ex scripturis ad conscientiam, non auctoritates hominum loquamur....“ Simile quid alibi legimus (Ep. 27): „Quod ad *nostram* philosophiam attinet, vellem me tecum posse colloqui, et ex te solide intelligere, quid appetat philosophia illa *ἀντιλογικὴν* novi. Nam quum ipse necdum potuerim indagare, nomen quidem CARTESII audio, dogmata et inventa nova non audio. Quae tamen audivi, hactenus apud me fere idem effecere, quam apud te: *Risi enim*. Nisi quod indignatus sum, studiosos sibi permittere sub nomine hujus philosophiae, de omnibus dubitare. Quod quam *ἀσόφισμ* sit, non ignoras. *Hoc tamen probo debere hominem non opinari, sed credere vel scire, idcirco opus esse scrutatione veritatis.* In philosophia ego requiro cognitionem rerum et causarum, tum sapientiam loquendi. Nunc in philosophia regnat *barbaries* et *abusus terminorum*. Imprimis quando Theologiam attingit, terminos scripturae vel corrumpit vel mutat. Quae res, quam sit noxia dici non potest. Apostolum video monitos nos voluisse, ut caveremus philosophiam. Scio non abjici *τὴν σοφίαν τοῦ λόγου* et *φυσικὴν ἐπιστήμην*, sed auctorum et sectarum discri-

1) Cf. p. 58.

mina multa implicare falsa innuit. Quod etiam hoc tempore contingere posse puto, quo minus causae est sectam faciendi et τοῦ φυσιοῦσθαι τὸν ἕνα κατὰ τοῦ ἑνὸς ὑπὲρ τοῦ ἑτέρου. Studiosi, dum id fit, vel nihil discunt, vel ἀέρα δέρουσιν. Ego velim nos esse ἐκλεκτικοὺς et δεκυμαστικοὺς et studiosos non negligere quid PLATO, ARISTOTELES, RAMUS, CARTESIUS senserint, sed esse veritatis sobriae et modestae professores, et philosophiam verbo Dei ancillam imo et discipulam praestare: imprimis de quavis re discere loqui σαφῶς."

Ex industria fusius in praecedentibus fuimus, quo melius nobis contingeret COCCEJI de philosophia sententiam accurate exponere. In ea magnam vim habuisse tum biblicam ejus in Theologicis mentem, tum regnantem in Theologia ex corrupto Aristotelismo barbariem, ubique patet. Cum quodam contemtu et suspicione omnem philosophiam tractat, moderato tamen ejus studio haud improbato [1]).

---

1) Ceterum multos deinde theologos tam Coccejanos, quam alios *Cartesianae* philosophiae fautores in ecclesia Reformata Nederlandica fuisse, unicuique notum est. Qua de re loquens YPEY (*Geschied. der syst. Godg.* T. II, p. 84) multos theologos, COCCEJI placitis addictos, CARTESIUM philosophiae ducem sibi sumsisse dicit, non ob interiorem quendam *inter utriusque doctrinam* nexum, sed eo, quod CARTESII adversarii iidem COCCEJI Theologiae acriter infensi erant, quod factum esse deinde monet *fortuito*. Verba autem illa ita illustrat: „Zij toch, die zoo ingenomen waren met de oude Aristotelische wijsbegeerte, moesten ook natuurlijk vrienden blijven van de scholastieke godgeleerdheid, en uit dien hoofde dus tegenstrevers zijn van COCCEJUS, zoowel als van DESCARTES". Nullo igitur jure VAN GORCUM (l. l. p. 28) narrat, YPEY statuisse „plerosque Coccejanos philosophiae *Cartesianae* addictos fuisse enkel bij toeval", addens „quod pro vero accipere, pugnat cum sana ratione". Idem hanc rem aliter explicare non potest, nisi „statuendo

Quod de philosophia, idem fere de rationis usu COCCEIUS statuit.

Quodcunque ejus in Theologia et sacrae scripturae interpretatione magisterium rejecit. Damnat eorum opinionem, qui rationem in pietate et religione principium statuunt. Id enim, propter quod Deus a peccatore amatur, et ut Pater in cunctis colitur, non cognoscitur ex iis, quae in toto mundo sunt, neque sensu vel ratione deprehenditur, sed est *mysterium*, cui *revelatione* opus est [1]). Neque tamen usum ejus rejecit. Quid? quod saepius conqueritur de sequelis rationis nimis neglectae, quo ea, quae per se fieri nequeunt, tanquam summa veritas a multis defenduntur. Rationem enim inter et revelationem pugnam interesse posse, diserte negat [2]). Propterea „divina ita docenda esse" dicit „ut, quod ratione sola

---

utrinque viri sectatores secum invicem doctrinam suam communicasse (!), quo melius ita conjuncti Theologiam subverterent scholasticam". Quod pro vero accipere, pugnat cum historia.

Fortasse res illa facilius explicatur 1° Ex naturali quadam Coccejanorum aliorumque receptum Formalismum aversantium pro CARTESII philosophia *σχηματισις*, quippe quae et eosdem habuerit adversarios, quos ipsi Coccejani, habuerunt, et alia via eundem scopum negative saltem attingere studuit. 2° Coccejani locum multo liberaliorem quam scholastici theologi quum obtinerent, non potuit non patere iis, CARTESII philosophiae studium rite adhibitum nequaquam nec Theologiae, nec patefactionis notioni rite intellectae nocere posse. 3° Philosophici studii necessitas saltem formaliter et a COCCEJO, et a multis iisque egregiis Reformatae ecclesiae theologis semper agnita fuit. Antiqua igitur philosophia rejecta, quid magis naturale, quid promptius esset iis, nisi quod philosophici studii desiderio ducti, novam illam philosophiam acciperent, quae multis nominibus se illis commendabat.

1) Annot. in Ep. I ad *Tim.* c. 4, § 61 sqq.

2) Annot. ad Ep. II ad *Cor.* c. 10, § 42 sqq.

de Deo cognosci potest, non separetur ab eo, quod revelatum est, et demonstretur ea inter se esse *dedikeya* et consentanea, et efficere unam veritatem. *Nam verum vero non est contrarium*" [1]). Non probat igitur sententiam eorum, qui pugnam inter Theologiam et philosophiam esse statuunt [2]). Fides enim minime credere jubetur, quae rationi contraria sunt. Contra arctus inter utramque nexus invenitur, ita ut fide ea scire possit ratio, quae antea ignoraret. „Fides enim non interimit rationem, sed excitat: non intricat, sed dirigit: non excaecat mentem, sed illustrat: non premit, sed liberat, nimirum a cupiditatibus, erroribus, ignorantiis, temerariis judiciis et opinionibus, et obmurmurationibus contra veritatem Dei, tanquam laqueis Satanae, quibus innodata erat, ad faciendam voluntatem ejus (2 Tim. 2 : 25. 26), idque elevando eam supra se ipsam in Deum ad cognoscendum et recipiendum ea, quae prius neque nosse poterat, nec recipere, quia stultitia ipsi erant, quae superant omnem

---

1) Annot. in Ep. I ad *Tim.* l. l.

2) Annot. in Ep. ad *Coloss.* c. 2; § 43 sqq. Alioqui Theologia et philosophia non pugnant, imo Theologia est vera σοφία, quia est cognitio veritatis τῆς κατὰ εὐσεβείαν, et ea est conscientiae vigilanti et attendenti manifesta, quatenus nempe conscientia concludit, necessario id verum esse, quod de se revelat Deus, quia id consentaneum est cum eo, quod cognoscimus, et manifestum in nobis est de Deo, de officio nostro et justitia, de nobis et pravitate nostra, et de operibus Dei, imprimis longanimitate et clementia, quam exercet erga peccatorem. Est igitur sapientia divina conveniens et congruens cum veritate, quae *in nobis manifesta est;* sed propterea ratio non est principium fidei, quia quod credimus, non est *manifestum in nobis*, sed est μυστήριον, quod a Deo revelatur, et in se tamen manet incomprehensibile, etiam postquam revelatum est, ut cognoscatur τὸ ὅτι, non τὸ πῶς.

γνῶσιν. Viae Dei sunt supra vias hominum et cogitationes Dei supra cogitationes hominum, sed non sunt contrariae nisi viis curvis et cogitationibus pravis" [1]).

Postea de COCCEJI Theologia loquentes paulo fusius agebimus de pretio, quod rationi et conscientiae in revelatis tribuit.

§ 4.

De liberaliore loco, quem inter aequales COCCEJUS *obtinuit.*

Ut in sacrae scripturae studio commendando, et in oppugnanda philosophiae Aristotelicae auctoritate, sic etiam aequalium in Theologia stabilitati COCCEJUS se opposuit.

Promissioni a CHRISTO eoque auctore ab ejus discipulis factae confidens Spiritum sanctum in omnem veritatem Christianos ducere, sibi persuasum habet. Ut alibi, pulcerrime etiam hac de re loquitur in *Animadversionibus in* BELLLARMINI *controversias:* „Hic Spiritus residet in cordibus omnium credentium et non est spiritus privatus, sed Spiritus CHRISTI, qui resedit in Prophetis et Apostolis et tota ecclesia Catholica; et in ea eandem fidem semper operatus secundum mensuram doni, quod Deus voluit diverso tempore et

---

1) *Summa Theol.* Cap. 46, § 6. Cf etiam *Potentia scripturae demonstrata*, c. 22, § 26 sqq.; *Judaicarum responsionum et quaestionum consideratio*, c. 3, § 99; Annot. in *Jobum*, c. 23, § 16; *Orationes*, p. 10 (Opp. Omn. T. VI); annot. in Ep. I *Petri*, c. 2, § 9, alibi.

in diversis partibus ecclesiae diversimodi distribui et manifestari, quae diversitas in scripturis propheticis satis distincte explicata est". Hisce consentaneum intimo corde persuasum sibi habet, in s. scriptura absconditos thesauros Spiritu operante magis magisque aperiri et in lucem proponi, ad ecclesiae utilitatem et ejus cognitionem veritatis divinae augendam. „Constat" — ita affirmat — „in ecclesia cognitionem magis magisque abundaturam, et mysteria Dei revelanda esse. Quare non aliter sentiendum est, quam distribuere Deum dona sua varie, et velle semper aliquod novum munus in ecclesia sua spectari, et a scribis et tractatoribus sacrarum litterarum, qui se discipulos stiterint ad cognoscendum et quaerendum regnum coelorum, proferri et vetera et nova"....

Quae quum ita sint, nullius jurare in verba magistri oportere monet COCCEJUS [1]), ne veritati obsistamus. „Nulla" — ita eodem loco pergit — „nulla lex est, quae jubeat eum, qui sequitur, esse contentum iis, quae priores cogitaverint, didicerint, perceperint, explicaverint. Imo quia profectus ecclesiae promissus est, turpis ignaviae foret, non experiri et periclitari divinam gratiam. Fidei porro est inquirere in ea, quae ab hominibus audivimus, an ita se habeant. Neque ea nititur verbo humano, sed divina auctoritate et sapientia. Non igitur utile est ecclesiae, ullum

---

1) Hujus rei valde alienus erat COCCEJUS; hoc ipsum a MARESIO *Theologiae traditivae* heroë, vitium ei habetur: „cocc. docuit et professus est Theologiam, quam vero αὐτοδίδακτος a nullo praeceptore hauserit, et locutus est ex eo, quo pruriebat, omnia novandi cacoethe". Opp. cocc. praefatio.

scriptum humanum habere auctoritatem et nimis magnum pretium. Aestimandis patrum scriptis et electione dicendi, quod multitudo dicit, nata est ecclesia, quae in prophetis appellatur Bestia". Vehementer saepius in scriptis suis eum querentem audimus de iis, qui ad literam usque in semel acquisitis subsistere volunt, *novitatis* accusantes, qui diligenti s. scripturae investigatione instituta, in cognoscenda veritate semper progredi velint, ut obscura magis magisque clariora iis evadant.

„Omnis industria eorum eo" inquit [1]) „contendit, non ut mihi, homini fortasse nullius pretii, nullius judicii et ingenii, et parum diserto, sed ut nemini quicquam, quod didicit ex sacris literis, dicere aut docere liceat; utque scrutatio sacrarum literarum videatur esse supervacua; imo periculosa. Et huic fraudi inservit nomen *novitatis*. Nam, qui cupiunt et sperant se posse ex verbo Dei discere, eos quidem *novaturientes* appellant. Atqui hoc ipsum, *novitatem* omnem simpliciter insectari, non potest non esse a Satana. *Nam profectus omnis est novus.* Si *novitas* simpliciter rejicitur, etiam *profectus* rejicitur. Evangelium rejecerunt et Judaei et gentes, quia *novum* ipsis erat. Reformationem ut *novam* persecuti sunt satellites Anti-Christi . . . . .".

Neque tamen ille fuit COCCEJUS, qui nova inducere cupiens, omnia evertere studuerit. Conatus eorum, qui hoc agebant, valde detestabatur. In omnibus sacra scriptura ei fons et norma est. Veritas per se est

---

1) Praef. ad *Comm. in Philipp.* p. 3.

caturissima et ab aeterno una [1]), et si profecturi simus, non praeter sermonem Dei, a MOSE, Prophetis, CHRISTO et Apostolis denuntiatum, aspere debemus [2]). Damnat „licentiam omnia negandi aut affirmandi *cum velo s. scripturae*". „Eam debemus" inquit „abominari, si Deum amamus aeque atque cohibitionem et exstinctionem Spiritus, qua hoc agitur, ne quis vel ad illustrandum credita, vel ad ea confirmandum quid adstruere laboret, aut ad abundantiorem cognitionem proficere" [3]).

Postea videbimus, quomodo haec principia universe in Theologia ejus et in prophetiis explicandis applicaverit. Tum etiam patebit, quam falsae fuerint eorum accusationes, qui eum *Socinianum*, *Remonstrantem* vel aliarum sectarum patronum dixerunt, quippe quum omnia ejus opera ostendant, toto animo ecclesiae Reformatae doctrinae addictum eum fuisse.

Pauca de magni viri vita et studiis lectori communicavimus, ex quibus patere possit, quomodo ab initio

---

1) l. l. p. 3.

2) l. l. p. 7 sqq. p. 4. „Post CHRISTUM igitur (nam per CHRISTUM lex fidei, quae est lex Dei, ponitur in aprico) nullus doctor debet quicquam dicere, quod CHRISTUS non docuit ad cognoscendum Jehovam; quia in verbo CHRISTI est perfecta Dei cognitio. Haec *novitas* igitur plane a sermonibus nostris debet exsulare, ni velimus cadere in anathema, quod Apostolus dicit vel angelo de coelo aliud docenti, Gal. 1 : 8. Et valde verendum est, ne, si non accedamus ad sermones Domini nostri JESU CHRISTI et nimis amemus sermones doctos ab humana sapientia et ingeniosorum hominum conjecturas, in talem novitatem incidamus. Quid igitur loqui oportet? Legem Dei, quae ad omnes pervenit et cordibus nostris inscribitur, ut idem Propheta dicit".

3) l. l.

inde publici ejus studii omnes vires intenderit, ut renovatis s. scripturae studiis philosophiae Aristotelicae auctoritatem, et barbaram ac scholasticam terminologiam e Theologicis expelleret. Ubique fere in illas eum invehi audivimus ut malum plane eradicaret. Neque minore audacia nimiam plurium animi angustiam, quemcunque veritatis progressum timentem, oppugnasse eum vidimus, id semper agentem, ut luce scientiae et indefesso scripturae studio, absconditos in illa thesauros magis magisque omnibus proponeret.

Superest, antequam de Theologia ejus agimus, nonnulla de indole COCCEJI referre, quo nobis contingat ejus personam propius cognoscere.

§ 5.

De indole COCCEJI.

Persuasum sibi habens omnem hominum cognitionem errorem sibi mixtum habere, in alios docendo hoc semper sibi proponit, ut ipse discat. Insatiabile studium scientiae, quam sibi comparaverat, augendae ubique ex operibus loquitur. Propterea nihil ei jucundius est quam cognitione progredi, neque eum pudet nescivisse „quod" inquit „tanti est, ut discamus, et gaudeamus nos didicisse" [1]).

---

1) Ep. 157. Ep. 497*: „Quid? si de me dicatur, me non esse contentum cognitione *nostri saeculi*, *nec mea*, *nec aliorum*? Nonne id magnum crimen erit?" alibi.

Huic modestiae conjuncta nobis obviam venit in ejus scriptis rara illo tempore modestia et amor fraternus in aliorum placitis et scriptis dijudicandis, propter dissensum eorum, quae cum adversariis communia habebat haud oblitus, quantumque potuit, omnes caritate amplectens.

Ut rem exemplis illustremus. In epistola ad CONRADUM BERGIUM de gratia universali, cui BERGIUS addictus, COCCEJUS vero adversarius fuit, inter alia haec scribit: „Si una essemus, plura ex te audirem, et tu ex me fortassis. Nam et plures hujus generis quaestiones sunt, in quibus fieri potest, ut, qui non idem dicunt, idem tamen sentiant et se sentire nesciant, et in quibus, quomodo loquamur, multum refert" [1]). Sicuti BERGIUM, ita et alios, quamvis ab eo discrepantes, magni fecit.

PLACAEI sententiae de peccato haereditario certior factus, hanc ita explicare studet ut res „salva sit", ceterum illud eodem loco [2]) pulcherrimum, nostro etiam tempore haud negligendum, addens: „Utinam semper primum cogitaremus *de modo conciliandi, quam de pugna.* Nunc contra hostiliter pugnamus, deinde pacem facimus, nec cogitamus de scandalo, quod pugna facit". Toto animo ecclesiae Reformatae doctrinam amplectens, erga Lutheranos animo irenico et Christiano simul se gessit. „DURAEUS [3]) quid effe-

---

1) Ep. 13.

2) Ep. 186 JOH. RUD. WETSTENIO. De DURAEO (JOHN DURY) ejusque conatibus irenicis cf. HENKE in HERZ. *Encycl.* sub voce. W. GASS, l. l. T. II, p. 34 sqq. et scriptores apud eos laudatos.

3) Ep. 41.

eturus sit, nescio; si hoc agit ut adoptemus sententias et loquelas Lutheranorum, nihil agit. Si vero sperat, Lutheranos vel eas, vel iniquum de nobis judicium deposituros, et sic forte nihil agit. Meum judicium est, Lutheranos et alios *ἐπιεικείᾳ, πραότητι, λόγῳ ἀπροσκόπτῳ* et *ἀποδείξει* esse adducendos, primum ut non male de nobis sentiant, deinde ut nobis adjungantur, quod an sperandum sit de integris ecclesiis, ignoro. Magnum id est. Sed Deo nihil est impossibile. Nobis laborandum est." Ut erga amicos et aliarum ecclesiarum socios, ita etiam erga adversarios se gessit. A VOETIO propter sententiam de *ἀφέσει* et *πάρεσει* severius dijudicatus, invitus et tantum ut famam et ministerium suum incolume conservaret, respondit. „Utinam" inquit [1]) „mihi liceret silere de iis, qui se turbari conqueruntur. Nam ego, ut omnes, qui in ecclesia Reformata sunt, habeo in precio, et praecipue, qui in ea docent et laborant (licet omnium non sit idem donum), honoro et cupio in honore esse imprimis eos, qui aetate me praecedunt, et quorum vita in labore et studio transacta est, quibusque multum ecclesia debet; ita illos habeo in precio, imo veneror, et multis nominibus mihi praepono; et *mallem me potius amari ab eis, quam illis praebere ansam perturbationis.* Utinam igitur mihi liceret de iis silere. Sed quia id facere non possum, nisi meam famam et ministerium meum negligam, et ipsis non satisfaciam, necesse quidem habeo eorum meminisse; sed id ita fa-

---

1) *Utilitas distinctionis duorum vocabulorum scripturae* παρέσεως et ἀφέσεως. § 4. Disputatio inserta Opp. omn., T. VII.

ciam, ut ostendam, me non dedisse causam quare turbentur et perplexantur, sed eam in ipsis esse; et *quod durius* mecum agunt, *quam lenissime* redargueam. Nam, ut dixi, *amo eos et cupio ab eis amari*."

Hisce consentaneus valde deplorat in ecclesia inveniri, qui *πρωτεῖς* sint ad damnandum et sui ipsorum ecclesiae saluti praeferant. In *Judicio de scripto* WOLZOGENII, *de scripturae interprete*[1]) „Probandi" inquit „sunt spiritus, qui jactant se justitiam docere, et non debemus esse *πρωτεῖς* ad damnandum, ne forte quod bonum est, damnemus et suspectum faciamus, saltem ne *fratre* ut *hoste* utamur. Non voluit pater familias frumenta eradicari cum zizaniis. Igitur quando legimus hominum scripta, utrumque oportet cogitare, et quod *homines* sint, et quod fortasse *fratres* sint .... Neque id multum prodest ecclesiae, nempe ut doctores ejus se mutuo proscindant conviciis, et se invicem desectores et *Socinianos* (nam id tempore nostro fere paratissimum convicium est) nominant. Nam quid adversariis optabilius est, quam in ecclesia Reformata aut multos aut insignes, aut esse, aut haberi erroris socios"? Sane! ratione temporis habita, amore erga virum implemur, ex cujus ore talia proveniunt, quique verbis et factis cuivis, quocunque saeculo nomen CHRISTI profitenti, singulare Christiani amoris et humanitatis exemplar proponi meretur. Quod utinam aequales ejus intellexissent, profecto aliam tum sortem

---

1) Opp. Anecd. II, 503. De litibus, de hoc scripto gestis, vid. YPEY en DERMOUT, *Geschied. der Ned. Herv. Kerk*, T. II, Annot. p. 371 et 372. BURMANNUS, l. l. p. 459, 460.

et COCCEIUS et qui eum secuti sunt, invenient, et ecclesia Reformata Nederlandica libera manisset litibus per centum fere annos summa acerbitate et saepius diabolico odio gestis, de rebus satis parvi momenti. In fine nostrae disquisitionis nonnulla hac de re communicabimus. Nunc progredimur ad COCCEJI Theologicas opiniones exponendas.

CAPUT II.

DE COCCEJI THEOLOGIA.

Praemonenda.

COCCEJUS ad ejus opiniones in Theologicis cognoscendas multa nobis opera tam dogmatica, quam polemica reliquit. Ad priora pertinent praeter ejus *Aphorismos* et *Disputationes selectas*, ejus *Summa doctrinae de foedere et testamento Dei*; deinde *Summa Theologiae ex scriptura repetita*; porro *Commentarius in Catechesin Heidelbergensem* [1]); ad posteriora *Animadversiones in* BELLARMINI *controversias*; *Demonstratio potentiae sacrae scripturae*; *Admonitio de principio fidei ecclesiae Reformatae ad* JAC. MASENIUM, cet. [2]). Hisce addi possunt multa, quae de diversis quaestionibus in suis commentariis hic illic annotavit. Inter hos imprimis

---

1) Opp. Omnia, T. VI.
2) Opp. Omnia, T. VII.

animadversione dignus est ejus commentarius in *Ultima Mosis* [1]), nec non praefatio, quam huic libello, uti etiam commentario in *Minores prophetas* [2]) praemisit.

Omnia haec scripta fuse exponere et dijudicare diutius quam par est nos detineret, et a consilio nostro plane alienum, ne dicam, plane etiam inutile esset, quippe quod eadem in diversis vel etiam in iisdem operibus saepius ab auctore iterentur.

Nostri tantummodo est ea scripta accuratius attendere, quae nobis tradunt ejus Theologiam, quatenus illam, scholastica methodo rejecta, solis ex s. scripturis hauserit. Duo propterea imprimis nobis tractanda sunt, primum ejus *summa doctrinae de foedere et testamento Dei*, deinde ejus *Ultima in Mosen*. Illa nobis tradit ejus *Dogmaticam biblicam* sive *Theologiam* q. d. *foederalem*, quae prae ceteris orta est ex auctoris odio erga aequalium theologiam [3]); haec nobiscum fusius communicant, quibusnam COCCEJUS erroribus in notione sua de *foédere Dei cum hominibus* obnoxius fuerit.

Quum vero ab altera parte in laudatis scriptis nonnulla etiam desiderantur, alias exposita, nec tamen plane inutilia, tum ad ejus Theologiam foederalem,

---

1) Opp. Omnia, T. I.

2) Opp. Omnia, T. III.

3) Cf. Praef.: „Multum sine dubio pietati officiunt quaestiones stultae et sive indisciplinatae sive ineruditae; illae de rebus, quae ad pietatem nihil faciunt, hae, quae vel ex imperitia sermonis justitiae vel ex ratiocinationibus contra fidem oriuntur.... E contrario ad pietatem necessaria est scrutatio verbi Dei, demonstratio veritatis, quae est secundum pietatem ad conscientiam, fundamenti religionis et analogiae fidei indagatio, etc."

tum etiam ad mentem ejus de sacra scriptura hujusque partibus diversis, et peculiarem modum, quo eam investigari voluit, melius cognoscendum, antequam materialem partem dogmaticae ejus Theologiae tradimus, quae hic illic dispersa apud COCCEJUM invenimus, in unum redacta brevi communicabimus. Simul ita nobis opportunitas data erit nonnulla attendendi, quae, quamvis etiam apud COCCEJI aequales, singulari tamen modo apud eum nobis obviam veniunt.

Hisce consentaneum *primum* nonnulla in medium proferemus de COCCEJI opinionibus de Theologia, deque fontibus, unde eam haurire voluit, ut *deinde* ipsam ejus dogmaticam Theologiam tractemus. Quibus peractis, in epicrisi pauca de ejus meritis dicemus.

SECTIO PRIOR.

COCCEJI OPINIONES DE THEOLOGIA, DEQUE FONTIBUS EJUS COGNOSCENDAE.

§ 1.

Theologiae notio, definitio et indoles.

In rebus illis definiendis apud COCCEJUM minime nobis occurrit longa series quarumcunque distinctionum et divisionum, quas antea apud scholasticos Theologos observavimus. Practica ejus mens s. scripturam unicam in Theologicis auctoritatem et ducem agnoscens, et hic se ostendit. In definitione Theologiae, quid

sit, quid sibi spectet, etc. biblicis utitur locutionibus. Monente eo Theologia est cognitio, quam de Deo habemus. Nec tamen illa cognitio perfecta habenda est, nam donec patriam coelestem non attigerimus, ex parte tantummodo, quasi in aenigmate (1 Cor. 13: 9. 10. 12.) cognoscimus, et quidem ea, quae Deus de se in vita hac distinctis temporibus cognoscendum dare decrevit [1]). Quae quum omnia ad salutem nostram spectent, Theologia cum Apostolo appellari potest „*doctrina secundum pietatem* (Tit. 1 : 1; 1 Tim. 6 : 3.) i. e. apta et conveniens instillandae pietati sive verae religioni ad consolationem certam in hac vita et salutem aeternam in posterum" [2]).

Propter arctum illum nexum Theologiam inter et pietatem falso a nonnullis Theologiam *speculativam* scientiam appellari censet. Quandoquidem enim Theologia tota est comparata „ad glorificandum Deum, ad amandum eum, ad eum quaerendum, ad ei credendum, ad laetandum in eo et eum colendum, non potest dubitari, eam esse *practicam* [3]). Reale igitur discrimen Theologiam inter et religionem COCCEJUM non accepisse, ex superioribus patet, quod arcte cohaeret cum angusta ejus Theologiae descriptione, quippe cujus argumentum nihil sit, nisi quod ad salutem nobis a Deo est patefactum.

---

1) *Summa Theol.* c. I, § 3.

2) l. l. c. 1, § 8. *Aphorismi per universam Theologiam breviores.* Disp. I, § 1. *Aphor. proliziores.* Disp. I, § 1.

3) ll. ll. Annot. ad *Rom.* 15 : 4, alibi. De distinctionibus apud veteres theologos Theologiae in scientiam speculativam vel theoreticam, practicam et mixtam, cf. GASS, l. l. T. I, p. 392, alibi, et scriptores ibi allatos.

Relative tantum discernit inter theologum stricte sic dictum, et quemcunque hominem Christianum, quatenus ille, acquisita eruditionis copia, melius quae nobis perscrutanda data sunt, in unum possit redigere et aliis clare coram oculis proponere. Quum enim constet, nullam sine Deo veritatem cognosci posse, nullamque esse veram sapientiam, nisi quae in Dei cognitione fundetur, hominis, ad Deum et propter Deum creati, Dei praeterea imagine et intelligendi et volendi facultate praediti, potissimum est, non tantum Deum cognoscere et amare, sed etiam ex eo amore in veritate nomen Dei ad gloriam ejus nominare, deque eo cogitare et dicere, quae convenit, cumque Deum suum in veritate appellare[1]), quae tota religio est.

Neque valde nostro placet subtilitas eorum, qui inter *fidem* et *Theologiam* distinguunt. Verum quidem est theologum plura nosse quam quemvis fidelem, sed non minus verum est, *fidem* etiam mysteria Dei tanquam divinam sapientiam studere intelligere. Quid? quod *verus theologus non est, nisi fidelis*[2]). Vera enim Theologia *sine pietate parari et haberi non potest.* Nam, qui se Deo nolit adjungere, vel etiam subjicere

---

1) *Summa Theol.* c. 1, § 1, 2. „Totum hoc, quod fidei proponitur, *nomen* Dei appellatur. Joh. 17 : 26. *Notificavi illis nomen tuum*, h. e. quid de te sentiendum, dicendumque sit; quae tua virtus est, quae celebranda est et glorificanda. Inde nominare nomen Dei ponitur pro tota religio..... Ergo *theologi* imprimis est *Deum dicere* cet."

2) l. l. c. 1, § 11. *Aphor. per unio. Theol. prol.* Disp. I, § 5. „Vera Theologia est fidelium; solet autem Theologia attribui τοῖς τελείοις, et qui sunt idonei alios docere."

judicio ejus, ut peccator, aut testimonio ejus, ut ignarus divitiarum Dei et a sapientia ejus longe remotus, neque ea, quae audit, ad gloriam Dei et amorem ejus refere: quomodo poterit cognoscere, quae Deus in verbo suo loquitur et de suis secretis et decretis spirit?[1]).

Qualem igitur verum theologum nobis informare debemus? Verus theologus est, „qui Deum ex Deo, coram Deo ad gloriam ejus dicit"[2]). De Deo deque rebus divinis puro corde ille loquitur, ita ut Dei honor apud eum sit *initium* et *finis*. „Nam qui Deum et divina loquitur *non ex amore Dei*, et sic ad gloriam Dei, is neque vere Deum loqui possit, quippe quem non cognoscat; neque ex Deo et in Deo loquitur; *concupiscentiam suam* loquitur, in *bona* autem *conscientia non loquitur*"[3]).

§ 2.

De fontibus, e quibus Theologia a nobis cognoscatur.

Sed undenam Theologia, sive cognitio illa salutaris de Deo haurienda? Quaenam sunt instrumenta, per quae Deus homines docet ea, quae de se cognosci vult, quaeque de ipso cognosci necesse est, ut homo *imago* ejus esse possit?

Cum ecclesia Reformata et scriptoribus sacrae scri-

---

1) *Summa Theol.* c. 1, § 8. „Timor Dei est initium sapientiae", Ps. 111 : 10; Prov. 1 : 7; Ps. 25 : 14; Joh. 7 : 17; 8 : 43; I Cor. 2 : 14.
2) Cf. II Cor. 2 : 17.
3) l. l. c. 1, § 1.

pturae duplex medium, quo Deum cognoscamus, statuit, primum τὰ παράσχετα, per quae inde a jactis mundi fundamentis invisibilia Dei animadversa conspiciuntur, ipsius aeterna potentia et divinitas, interque ea imprimis hominis *conscientia*, docens τὰ παράσχετα et Dei justum judicium; deinde verbum Dei, quo sua secreta nobis revelavit.

Quod ad conscientiam attinet, magna ei vis a COCCEJO adscribitur. Quae plurimis locis de ea monet, huc fere redeunt. Conscientia est scientia, quam homo cum Deo aliisque hominibus communem habet de eo, quod verum falsumque, justum et injustum est; qua discernimus, quid ex vero sit, et ex vero non sit, qua etiam novimus, quid fecerimus et non fecerimus, et quale sit, quod facimus, utrum id in fide faciamus, necne [1]). Itaque conscientia, quatenus est illa homini insita lux an lex, per quam cognoscit Deum et quae secundum imaginem Dei et contra eam sunt, non modo *judicat* [2]) de faciundo et facto; habet etiam *testimonium* [3]) quia homo non potest latere se ipsum, si modo se ipsum velit examinare, quin sciat, quid et quare faciat. Ne tamen quis putet omne id, quod sentit vel opinatur vel judicat, judicium esse conscientiae, quod qui faceret vocabulo abuteretur; id enim solum, quod quis de aliqua re, omnibus probe consideratis, cum scientia judicat, ex conscientia judicare

---

1) Annot. in *Jesaiam* c. 14, § 80. Epist. ad *Rom.* c. 2, § 48. Ad *Ps.* 150, § 5. Annot. in Ep. I ad *Thess.* c. 5, § 117.

2) Annot. in Ep. II ad *Timoth.* c. 1, § 15 sqq.

3) Annot. in Ep. II ad *Corinth.* c. 1, § 72; alibi.

dici potest [1]). Quod autem conscientia dictat, verum est, et falsum esse nullo modo potest. Nam si errare et fallere conscientia posset, non esset conscientia [2]).

Quamdiu igitur homo versatus est in statu rectitudinis, ei sua conscientia *sola per se* magistra fuit, docens quid faciendum opus esset, et quae opus esset ejus, qui fecisset, quae *oportebat* facere [3]). Tunc enim amor Dei et veritatis, et lex Dei in corde ejus scripta erant; praeterea ad Dei imaginem creato, eoque ipso ab aliis rebus differenti, nullae res, ne quas sensibus quidem attingimus, propinquiores ei fuerunt, quam ipse Deus, cujus est imago. Quae quum ita essent, quid esset, conscientiae vocem audientem, impediret, quae Deo placent, quominus ea faceret [4]).

Postquam autem peccatum intravit in mundum, res

---

1) *Summa Theol.* c. 22, § 15.

2) l. l. c. 3, § 11. Ep. II ad *Tim.* c. 1, § 16: „In vocabulo ipso est *manifesta contrarietas*. Nam conscientiam *errantem* dicere non magis convenit quam *scientiam errantem*; quum scientia non est nisi *veritatis*". COCCEJUM hic verba et res confundere patet; tota enim ejus opinio de conscientia non errante nititur etymologica verbi significatione.

3) *Summa Theol.* c. 1, § 14.

4) l. l. c. 8, § 31, 32: „Neque pessime MAXIMUS TYRIUS ita sensibilia a *νοητοῖς intelligibilibus* distinxit, ut illa quidem *γνωριμώτερα κατὰ τὴν ὁμιλίαν*, *notiora*, *quoad commercium*; haec autem *γνωριμώτερα φύσει*, *natura notiora* dixerit. Et fortasse hoc ita verum est, Deum, rerum intelligibilium primum, *notiorem* esse natura, ut, nisi homo imagine Dei se spoliasset, ne *commercio* quidem quicquam homini Deo propinquius futurum fuerit, quam Deus; quum ei, qui est imago Dei, et qui hoc ipso differt ab aliis rebus, quas sensus attingit, nihil potuerit esse magis proprium et suum, quam is, cujus est imago. Nam quid est homini naturalius, quam cogitare de se ipso, deque mente sua, et rectae mentis archetypo et luce".

aliter se habet. Peccato enim egregiae, quibus antea homo instructus fuerat, dotes deperditae sunt. Vera Dei cognitio errore misceri coepta est. Rebus terrestribus et sensibilibus magis magisque homines delectati sunt. Amor erga Deum metui locum cessit. Peccator enim non potest delectari cogitatione sanctitatis Dei, quae in Deo vel maxime cognoscenda et amanda est, quamque conscientia *non potest non Deo asserere*, quando animus in eam cogitationem descendit.

Itaque conscientia non amplius suffecit ad rite Deum cognoscendum. Ignorantia enim obscurata rei quidem notitiam, minime autem modi rei notitiam dictabat, ne dicam, ea prorsus per illam doceri non posse, quae faciunt ut certi de remissione peccatorum Deum ut justificantem impios amemus.

Quae quum ita sint „revelatione omnino opus fuit, ut homo..... disceret, quid valeat *esse Deum*, et in hac perfectione disceret alteram illam, quae propius ad Deum appellit, *posse esse Deum peccatoris;* tum deinde perciperet illam maximam laudem Dei, quae est *velle quaeri et inveniri a peccatore;* denique quomodo eum quaeri oporteat, ut inveniatur, sine qua cognitione et fide non possumus Deo placere, h. e. ad eum accedere, cum eo ambulare, ei grata facere et eum colere, Hebr. 11 : 6".

Haec revelatio [1]) revera a Deo data est, quae per

---

1) coccejus voce *revelationis* (ἀποκάλυψις) alia utitur significatione, quam qua hac voce hodierni theologi vulgo utuntur. Vulgo apud eum involvit divinam manifestationem ad redemtionem. Videmus igitur notionem patefactionis externae in statu hominis integro, minus ab eo propositam esse. Nec tamen negavit. Cf. l. l. c. 1, § 14. „Homini recto

multa saecula ore tradita et conservata, deinde tamen oblivione gentium magis magisque obscurari et ignorari coepta est. Noluit tamen Deus verbum suum, vitam continens, plane perdi; de coelo igitur prospectans denuo, verba vitae ABRAHAMO et filiis ejus, denique populo Israelitico per MOSEM commendavit. Quid? quod etiam Judaeorum in servando foedere *ἀκριβεία*, renovatamque idololatriam et haereses atque defectionem, in postremo tempore exstituram, praescienti Deo placuit, scriptis voluminibus per servum MOSEM omnem doctrinam foederis consignare. Eodem modo, quae postea CHRISTUS et Apostoli vivo sermone praedicarunt, Deo curante, scriptis sunt tradita, per quae *sermo ille vivus* CHRISTI *et Apostolorum quodammodo ceu per aequivalens apud nos perennis est.* Ergo jam habemus summam credendi et faciendi regulam in scriptura, extra cujus testimonium nulla exstat divina traditio [1]).

§ 3.

De sacra Scriptura norma credendorum. Auctoritas. Necessitas. Perfectio. Perspicuitas.

Cum omnibus sui aevi Theologis omnia scripta V. et N. F. divinitus inspirata esse, diserte saepius COCCEJUS testatur. Diversum gradum theopneustiae apud sacros scriptores pro diversis rebus, quas communi-

---

sua conscientia sola per se magistra erat..... *quamquam etiam Deus ad eum locutus est.*"

1) l. l. c. 1, § 15—25.

cabant, haud rejiciens, ubique tamen eos Spiritu sancto locutos esse, statuit [1]). Quid? quod saepius illos Spiritus *amanuenses* [2]) vocat, quam tamen formulam latiore quidem sensu accepit, quam vulgo fit [3]). Propterea divina in omnibus scripturae tribuenda est auctoritas; quae ut firma sit, nequaquam ab aliis comprobetur, necesse esse statuit. Scripturae enim hanc vim tribuendam esse dicit, „ut ipsa se demonstret esse *θεόπνευστον*, sive ut divinitas ipsius considerantibus eam ex certis suisque argumentis sit evidens; ita ut, qui recipit eam pro divina sciat cui crediderit, nempe Deo, et qui eam non recipit bonam conscientiam habere non possit" [4]).

Rejiciendum igitur censet Romano-Catholicorum de ecclesia s. scripturae auctoritatem affirmante, „circulum nugatorium" [5]). Neque verum accipiendum opprobrium, quod Reformatis iidem faciunt, fidem eorum, *opinionem* potius quam *fidem* esse dicendam, quum

---

1) Praef. in Ep. ad *Rom.*; *Disp. Sel.* 39, § 11—21.

2) *Summa Theol.* c. 4, § 40, alibi.

3) Annot. ad Ep. II *Tim.* c. 3, § 104 sqq. „Spiritus tribus fere modis egit sanctos Dei homines: 1. Dei ductu scribebant *visa* et *audita*; 2. Intellecta verba Dei exposuerunt sermone et scripto; 3. Mysteria vel prophetias revelavit, vel verbo pronuntiato, vel visionibus, vel interiore alloquio ad animam..... Deus mox in omnibus affuit, sed non fuit necesse „ut in nulla re cogitaret ipse, quid loquendum et scribendum esset....., Quaedam tamen verbotenus dicenda et scribenda ei praescripsit....." Cf. etiam annot. in Ep. II *Petri* c. 1, § 160. Annot. ad Ep. I ad *Cor.* 10 : 8 § 37. „Quaeritur hic de numero. Fac Paulum minorem dixisse per *ἀμάρτημα μνημονικὸν* vel potius ipsi non succurrisse numerum majorem, an ideo in Sp. sancto non est locutus?"

4) *Potent. scrip. dem.* c. 1, § 13.

5) *Summa Theol.* c. 3, § 4.

ratiocinatione adhibita fidem suam ex revelatis construunt. „Deum enim quum nullus κατ' εἶδος cognoverit, nunquam de tali revelatione gloriari posset, quae excluderet omnem σύνεσιν et λογισμόν". Quod quum ita sit, attento animo quae audimus, exploranda sint, an vera sint; ita ut vera fides non sit, nisi instituta *prudenti* consideratione auditorum. Tum demum vera essent, quae adversarii dicunt, „si ad fidem requireretur, ut alius testaretur, *Deum non mentiri*, et id ego ipse propria ratione non tenerem: et, *Deum loqui;* et id ego nescirem; et, quae audio, hoc aut aliud significare, et ego id non intelligerem". Sed hoc si requiritur, omnis fides cadat necesse est. Sic enim „in omni testimonio audito ad fidem requiretur testans de testantis virtute et prudentia, et, quis loquatur et quid vocibus, quas audio, indicet. Ita ibitur in infinitum et fidei *βάσις* tolletur" [1]). Sed quaeso! dixerit quis, neque in scripturis Deus loquens auditur, et quae jam de fide, firmo fundamento destituta, monuisti, eadem de te ipso valent? Huic objectioni COCCEJUS ita respondet: „Imo vero in scriptura reperio voces, quas aeque non possim dubitare esse a Deo, atque si vel Deum in Sinai, vel MOSEM, vel Prophetas vel CHRISTUM vel Apostolos loquentes audirem" [2]). Ad quod enuntiatum probandum plura ab eo afferuntur argumenta, quae fuse exponere diutius quam par est, nos detineret. Provocat ad fidem historicam scripturae argumenti, quod nullo modo fingi potuit, ad miracula patrata, ad pro-

1) l. l. § 7—18.
2) l. l. § 18.

phetiarum veritatem, eventu nunquam non comprobatam. Porro ad magnum omnium partium Dei mysterii consensum. Huc accedunt gentium conversio secundum promissionem, styli simplicissimi majestas, ad simplices erudiendos, doctosque exercendos aptissima: major scripturae praestantia, quam quorumvis sapientissimorum et eloquentissimorum hominum scriptorum, quorum nullum ita „confertam, meram, sinceramque et integram contineat doctrinam glorificandi Deum"; ipsa doctrinae sanctitas, „odio et fuga hominis carnalis, nec minus clarissimis exemplis virtutum et patientiae et amoris Dei, quae in iis conspecta sunt, qui huic obediverunt, manifestata, cet" [1]).

Sed omnibus hisce argumentis longe certius apud quemcunque vere Christianum esse statuit testimonium Spiritus sancti, qui de se et verbo suo per fructus suos nobis testatur, et cum eo conjuncta saluberrima vis, quam s. scripturae doctrina in animis efficit. „Ipsa" inquit [2]) „purificatio cordis per fidem, dum sincerissimam sapientiam ex verbo Dei percipit, dum in eo oritur dies, dum lucis amore afficitur, et omnes fructus Spiritus, qui non sine verbo Dei proveniunt, et non possunt non esse effectus ejus, qui nobis dedit et animam et conscientiam, fidelibus singulis pro se, efficacissime testantur, id verbum a Deo esse, quo in alios homines se mutatos esse, ipsi sentiunt. Absque qua testificatione interna si sit, nemo

---

1) l. l. c. 3, § 19—34; *Script. post* c. 2 alibi.
2) l. l. c. 25, § 25.

fidem divinam habet....." Alibi [1]): „Hoc argumentum vel potentissimum est inter ea, quibus divinitas scripturae comprobatur. Per caetera enim argumenta *inclinamur* et *constringamur*, ut speremus et nobis veluti polliceamur, nos omnia divina in ea reperturos; in hoc autem, nempe illa ipsa sapientia doctrinae, ad conscientiam manifestata, cernimus ejus divinitatem et integritatem." Ad quod argumentum refringendum frustra Romano-Catholicos circulum perpetuae alternationis inter auctoritatem scripturae et Spiritus Reformatis objicere censet. „Nullus enim" inquit [2]) „est circulus, quando sic statuimus: Verbum, quod non tantum a Deo et viris θεοφόροις liquido profectum est, sed etiam eam doctrinam continet, quae carnis ingenio et *φρονήμασι* est contraria; Deo autem, attestante conscientia, digna et gloriosa, quodque hominis corrupti conversionem a servitute concupiscentiae ad servitutem justitiae operatur et veraciter promittit, id verbum est verbum Spiritus sancti; et consequenter is spiritus, qui contra ratiocinationes et cupiditates carnis persuadet, ut eam doctrinam ad gloriam Dei amemus, est Spiritus sanctus." Neque majoris pretii habendum esse putat, quod iidem nugantur de Reformatorum *spiritu privato*. Quod ex eo explicandum esse dicit, quod quae CHRISTUS discipulis promisit, ut omnes a Deo docti futuri essent et alias ejusmodi promissiones, ad N. T. pertinentes, non satis magni habent. Contra, quod Reformatis objiciunt illi, de ipsis valere noster

---

1) l. l. c. 32, § 3.
2) l. l. c. 4, § 4.

statuit. „Quis enim" inquit [1]) „est *spiritus privatus*, nisi qui attribuitur Papae .... Et is spiritus ideo non est Sp. sanctus sed *erroris*, quia non ab omnibus explorari potest, et *se non potest probare spiritum lucis omni conscientiae.*"

Spiritus autem divini testimonium, quippe solis credentibus inditum, alii, non credenti, non valere ad fidem, s. scripturae habendam, in eo excitandam a nostro conceditur [2]). Sed alia etiam, eaque valida argumenta quibuscunque hominibus in promptu sunt, quibus probetur s. scripturae divina auctoritas, doctrina quippe in ea comprehensa tanquam divina omnium conscientiae se manifestante. Antea universe egimus de magno pretio, quod COCCEJUS conscientiae in homine tribuendum esse putavit. Hic monere quaedam debemus de loco, quem dedit ei in homine lapso, ratione imprimis habita veritatis, a Deo ad salutem patefactae.

Conscientiam atque ita naturalem hominis de Deo cognitionem post lapsum non plane perditam esse, saepissime COCCEJUS innuit. Sunt sane, qui hanc negent, quod tamen ad rei veritatem evertendam nihil valere dicit. „Ut enim pueris, rudibus, imperitis, tardis ingenuo, negligentibus et stupidis, non eadem demonstrari possunt, quae viris exercitatis, doctis, sagacibus, attentis, sobriis atque acutis: ita, quos praeconcepta opinio occupavit, quos sui aestimatio infatuavit, quos vanitatis amor fascinavit, quos malitia excaeca-

---

1) l. l. c. 4, § 5.
2) l. l. c. 4, § 2.

vit, iis frustra demonstrare conaris, quae alias *liquidissima* sunt" [1]).

Licet enim cognitio illa de Deo, quae luce rationis et conscientiae acquiritur, non talis est, ut obedientiam Deo praestandam, in animo hominis excitet [2]), tamen quemvis bene attendentem docet conscientia ea, quae falsa et vera, bona et mala sunt, quaeque Deum *decentia* dicenda sunt. Quum igitur Deus hominibus se patefaciat tanquam eum, qui eos salvos vult reddere, nisi *malitia excaecata* huic rei, tanquam Deo dignae, conscientia assentiri debet [3]). Sic veteres, qui ante MOSEM vixerunt, et ore tantum tradita, quae Deus ad salutem patefecerat, habuerunt, maxime haec ut vera acceperunt, quia divina sapientia illa se eorum conscientiae manifestarunt [4]). Sic etiam nos, „si audiamus Deum testantem..... de sua sanctitate, de sui sanctificatione in Filio, de electione seminis in Filio, de non imputatione peccati propter Filium, de datione Spiritus regenerationis,.... de justitia et vita aeterna propter Filium donanda, conscientia nostra non potest aliud judicare, quam hoc esse verbum bonum, Deo quidem gloriosum, nobis autem jucundum, quo possimus et debeamus moveri ad diligendum Deum, ut demus ipsi gloriam et quaeramus unionem et communionem ejus, eum invocemus, ei confidamus ad

---

1) Comment. in *Jobum.* c. 12, § 10.

2) *Aphor. per univ. Theol. prolix.* Disp. I, § 10: „Theologia naturalis in homine irregenito est quidem; adeo ut nullus sit speculative ἄθεος; sed non est, ut oportet, et cum effectu obedientiae....."

3) l. l. § 11, alibi.

4) *Summa Theol.* c. 1, § 19, 23.

salutem, eique gratias agentes vitam aeternam laeti exspectemus" [1]).

Ex hisce et similibus, quae plurima in COCCEJI scriptis leguntur [2]), patet quanti fecerit noster conscientiae testimonium in demonstranda s. scripturae auctoritate, et divina origine, quae notiones apud eum saepius synonyma cum theopneustiae notione usurpantur. Dolendum mihi videtur, quae hic illic pretiosa hac de re monet, non satis ab ipso enucleata esse, neque satis ex industria eum exposuisse, qualem nexum et rationem sibi informaverit inter diversa argumenta, quae affert ad s. scripturae auctoritatem demonstrandam. Universe conscientiae primum locum dedisse videtur, cujus testimonium homo audiens per singula argumenta ducitur ad fidem s. scripturae, utpote verbo divino, habendam.

Sic dicit (*Script. pot.* dem. c. 19, § 9): „Homines tantum possunt esse testes eorum, quae viderunt et audiverunt.... Hoc medio notificandi humano Deus voluit exaedificare fidem divinam. Ut fides divina

---

1) Comm. *in quinque priora capita Geneseos.* c. 3, § 107.

2) Cf. etiam annot. in *Psalm.* 150, § 5: „Quae Deus docet et revelat, ea ad omnem conscientiam manifestantur, ita ut Spiritus Dei, dum omnem animam ad Jehovam celebrandum vocat, omnem conscientiam hominum videatur compellare et obtestari, an non ea cogatur ei et verbo ejus respondere *Nae* et *Amen*, cet.; *Ultima Mosis*, § 201. *Script. pot. dem.* c. 19, § 9; c. 2, § 9. „Id *praecipue* teneamus ipsam *bonitatem*, *justitiam*, *sapientiam* sermonis scripturae se commendare ad *omnem conscientiam*. Ad hanc provocat item scriptura e. g. Deut. 4 : 6.... ubi nota, Deum ipsum hoc praecipuum argumentum facere, quo populi sint ad legem et sic Prophetas et Evangelium (quae in lege fundantur) recipiendum commovendi". Praef. in comm. Epist. ad *Titum*, alibi.

est, si quis id credat, quod ipsi voce Dei, de qua dubitare non potest, ejus auctorem Deum esse, innotescit: ita fides divina est, quando quis eam ipsam notificationem divinam, olim coram et immediate factam, cognoscit ex necessariis consequentibus, vel ex rebus, quae citra talem notificationem consequi non potuissent, non minore certitudine, quam qua *αὐτόπτης* eam percipere primitus potuit..... In applicatione vero hujus medii fidei ad effectum in animis hominum intervenit Dei gratiosa et flexanima potentia, veritatem salutarem dignam Deo auctore sub *conscientiae*, quam ipse in homine fecit, *dictatura* amabilem faciens, ut animus attendens fandetur et roboretur in fide per *singula argumenta*, quae alioqui vel per supinam negligentiam insuper haberet, vel per malitiosas ratiocinationes redderet inefficacia..." Alibi [1]): „Auditum referimus ad conscientiam, testem recti et pravi, testem ejus, quod facimus et quod in nobis est, testem Dei, testem connexionis, quae est inter vera; et contra propriam sapientiam et justitiam ad gloriam Dei definimus, ut eum amemus et timeamus"..... „Ecclesia [2]) declarat, se scripturam pro divina recipere, h. e. confitetur fidem suam. Non tamen imperat, ut propter suum dictum pro divina recipiatur, sed divinitatem ejus demonstrat ad omnem conscientiam. Dico ad *omnem conscientiam* cum Apostolo (2 Cor. 4:2). Sunt enim illa argumenta, quae protulimus,

1) *Summa Theol.* c. 3, § 46.
2) l. l. c. 3, § 41 sqq., § 8 sqq.

clara et evidentia apud omnem conscientiam. Atque etiamsi non omnibus sit verbum Dei *odor vitae ad vitam;* sed in iis, qui pereunt, sit *odor mortis ad mortem* (2 Cor. 2:16), tamen et hi sentiunt, Deum, quem fugiunt, ad se locutum esse. Deus apud JEREMIAM (C. 23:28, 29) omnium animos compellat. Propheta, cum quo est somnium, narret somnium; et cum quo est verbum meum, loquatur verbum meum, veritatem. Quid paleae cum tritico? Nonne sic est verbum meum, ut ignis, et ut malleus, qui facit dissilire petram. Ita PAULUS (Hebr. 4:12): Vivus est enim sermo Dei et efficax, et magis secans, quam omnis gladius anceps, et penetrans usque ad divisionem animae et spiritus, junctuarum et medullarum, et judicans commentationes et cogitationes cordis. Qui hoc sentit, quam majorem auctoritatem, aut quem testem exspectabit, ut credat? Qui hoc non sentit, aut se non sentire dicit, quique omnino omnibus rationibus se negat perpelli, ut credat scripturae, tanquam verbo Dei, quomodo is permoveri poterit, ut subjiciat se Deo, cujus cognitionem fugit? Quid facere nos oportet, nisi ut pro eo oremus, et eum omni occasione cum longanimitate exhortemur, ut imminentem iram effugiat .. et servetur."

Num autem illa argumenta sufficiunt ad cuivis persuadendum de s. scripturae divinitate? Negative aliquatenus huic quaestioni nostrum respondere ex superioribus jam efficere licet. Quamquam enim statuit divinitatem illam infidelibus probari posse, nulla tamen, ne firmissima quidem argumenta, bonum eventum habitura ad hominem vere convincendum putat, nisi

insit in ejus corde sincerus amor Dei voluntatis perficiendae. Hac in re CALVINO et AUGUSTINO assentiens [1]) „evidentia argumentorum divinae" inquit [2]) „revelationis potest torquere infideles, ut quod oderunt, quo terrentur, vel oppressum vel mutatum velint; aut saltem extorquere ipsos, ut mentiantur Deo et cupiant videri obsequentes; non potest autem illis fidem inserere....."

De ceteris, quae COCCEJUS scripturae tribuit attributa, non est, quod fuse moneamus. Ejus *necessitas*, *perfectio*, *sufficientia* et *perspicuitas* contra Romano-Catholicorum objectiones vindicantur, eorumque argumenta ad traditiones et consuetudines tuendas, atque privatam ecclesiae interpretationem vindicandam enervantur. Scripturam sufficientem esse ad salutem, inde sequitur, quia in ea „lex Dei et foedus ejus cum hominibus et Evangelium" [3]) clare atque perspicue continetur. Quod autem ad obscura nonnulla et ambigua attinet, nobis cavendum esse censet, ne ex hominum obscura mente ad scripturae obscuritatem concludamus. „Nihil enim impedit eam esse claram, atque perspicuam, et hominem nihilominus esse τυφλὸν, πεπωρωμένον, et ἀνόητον" [4]). Neque obliviscendum monet, inter Christianos inveniri pueros et τελείους (1 Cor. 2: 6; 3:5); quae his sapientia sunt, illis saepius esse obscura. Propterea in iis „cum timore progredi pue-

---

1) Cf. CALV. *Instit.* L. 1. c. 8, § 13, et quae de illo loco monet COCCEJUS, *Pot. script. dem.* c. 19, § 10.

2) l. l. § 10.

3) *Summa Theol.* c. 5, § 63.

4) l. l. c. 6, § 6 sqq.

ros necesse est, διηγεῖς quum utuntur, *nihil tamen recipientes nisi in πληροφορίᾳ τοῦ νοὸς*, Rom. 14 : 5" [1]). Frustra tamen haec a Pontificiis objiciuntur, ut homines a scripturae studio absterreant. Nam, quaecunque in s. scriptura sint difficilia intellectu, tamen ejus perspicuitas talis est, „ut homo illuminatus a Sp. sancto, et Dei amore ac timore praeditus, judicare possit id, quod scriptura dicit, esse veram sapientiam et prudentiam, et ejus sapientiae doctorem sapientissime docuisse". Neque magni ponderis habet eorum objectiones ex variis lectionibus et versionibus, hic illic inter se discrepantibus, quippe quae nequaquam efficiant, ut homo minus doctus in necessariis ambiguus maneat [2]). Saepius COCCEJUS ostendere conatur, hominem indoctum a cujuscunque sive ecclesiae sive viri eruditi judicio in rebus, ad fidem spectantibus, prorsus liberum esse. Sic in *Admonitione de principio fidei*, p. 20. „Neque tantum" inquit „doctis sufficit scriptura, sed etiam idiotis, etiamsi *literarum* sint *expertes*". False necessario sibi acquiescendum esse dicuntur „judicio suorum doctorum". Quid? quod inveniuntur „idiotae, qui apologia fidei suae possint pudefacere doctos aliquos, et olim fuerunt, qui in carceribus et juxta ignes rationem fidei suae reddiderunt".... „Sed" — ita pergit — „habeat literatus plus scientiae et, ut sapiens dicit, plus *aegritudinis*, nihil impedit, quominus idiota habeat bonam conscientiam, fidem fortem, charitatem enixam, spem vivam.

---

1) l. l. § 19 sqq.

2) l. l. § 71 sqq. VAN GORCUM, l. l. p. 39 sqq.

Potest enim scire, exstare in mundo et ecclesia verbum Dei; idque scriptum esse. Omnibus enim hominibus constare potest, Deum locutum esse ad Patres per MOSEM, ad Israëlem per Prophetas, per JOHANNEM *Baptistam*, per JESUM et Apostolos, non secus, ac si omnes *αὐτόπται* et spectatores fuissent....."

Neque est, cur non facillime ad quorumcunque hominum notitiam perveniret literarum sacrarum argumentum. „Ita enim Deus legem suam publicavit, et in medio omnium posuit, ut difficilius sit ejus summam ignorare, quam scire: h. e. ut vix quisquam possit illam ignorare, etiam dedita opera, fugiendo omne honestum commercium, omnem congregationem bonorum et piorum hominum, omne colloquium, quod vel de bonis moribus, vel de Dei voluntate et natura, vel de solatiis afflictorum et morientium, vel in hominis nativitate, inque omni gratulatione solet institui..... Quis igitur dubitabit, Deum per Spiritum suum efficere posse, ut in illis, quae audiunt, quaeque apud omnes certissima sunt, videant veritatem, quae Deum decet; et quae cognoscunt a Deo dicta, credant; quae cognoscunt Deo digna, ament, et JESUM CHRISTUM amplectantur, eique confidant. Quid porro? credere potest idiota et servari: numquid non etiam potest proficere in cognitione veritatis et mysteriorum Dei? Certum est tardius difficiliusque proficere eos, qui s. literas ipsi consulere non possunt, quam illi proficere possunt, qui habentes eam facultatem, ea in timore Dei studiose utuntur. Attamen ille ipse defectus ad hoc comparatus est, ut attentum et celerem ad audiendum faciat eum, qui praeclaris illis mediis, quibus

instructus familiariter adit sacras literas, destituitur. Nec tantum attentum, sed et *timidum*, *ne fortasse temere aliquid recipiat, et in tenebris ambulet*... Proinde idiota, *regulam fidei retineat*, si quid audiat, quod in eam et in bonos mores incurrit, statim rejiciet. Oves enim CHRISTI Pastoris vocem audiunt; alieni autem, quem nec norunt, vocem non audiunt, sed fugiunt ab eo etc." [1]).

§ 4.

De modo, quo COCCEJUS *veritatem divinam ex sacra Scriptura peti voluit.*

Antequam ad ipsam Theologiam COCCEJI dogmaticam, quam unice sacram scripturam secutus condidit, tractandam transeamus, utile mihi videtur, paulisper agere de modo, quo universe scripturam explicari voluit, quod ad rite ipsam ejus Theologiam intelligendam scire plane necessarium est. Videamus igitur, quid COCCEJUS doceat de scripturae interpretatione, deque modo, quo, ut feliciter procedat fieri debeat.

Scriptura quum sit divinitus inspirata sive quum composita sit verbis, a Spiritu Dei per amanuenses

---

1) Ceterum „in hac simplicitate" inquit, „idiotae possunt esse feliciores multis doctis, qui magnam aetatis partem coguntur terere legendis controversiis, inveniendis et enodandis laqueis et perplexitatibus, et refutatione adversariorum. Idiotae enim non coguntur scire, quod omnes stulti dicunt". l. l. p. 21.

dictis, et unusquisque sui ipsius verborum sit optimus interpres, ipsam scripturam a nullo nisi a Sp. sct. rite intelligi atque dehinc eum solum illam interpretari posse apparet. Quae quum ita sint, nullius privati spiritus sive papae sive ecclesiae sive alius magistri in interpretando auctoritas agnoscenda est. In novo enim Foedere non datur privatus spiritus, quo ductus unus homo alium docet, tanquam privilegium habens docendi aut clavem cognitionis solus sive cum paucis habens, sed omnes filii ecclesiae sunt discipuli Dei, et quod dicitur in ecclesia, revelatur a Deo (Phil. 3 : 15), docetur ab unctione (1 Joh. 2 : 27), atque adeo spirituales omnia *ἀνακρίνουσι*, dijudicant sive examinant, et a nemine judicantur, nisi a Deo (1 Cor. 2 : 15).

Quapropter interpretari omnium est, qui id donum habent, et de interpretatione judicare omnium fidelium. In cujusvis autem interpretis corde ut resideat amor et timor Dei necesse est, quibus si destitutus est, cognitionum earum, quae in docto interprete requiruntur, ne vel maxima quidem copia ad rite et bene interpretandum verbum divinum, sufficiet. „Hoc enim sanctissimum verbum totum propria timentium Deum possessio est. Nam non timentibus Deum, neque quicquam in eo dicitur ad ipsorum consolationem pertinens, neque omnes partes sapientiae divinae et mysterii ejus innotescunt. Ipsum enim hoc, quod non credunt, non amant veritatem, non timent Deum obstat, quominus vel legant, vel legentes rite intelligant. Non enim Spiritus sanctus ita composuit scripturae sermones, ut non scrutantibus obvia occurrat omnis veritas et quo-

vismodo omnem ignorantiam caecitatemque expugnet, aut non amantibus veritatem, scripturam tamen legentibus, omnem ansam adimat ejus torquendae ...."[1]). Summa igitur interpreti in interpretando cura adhibenda est. Non prius debet acquiescere, quam reperit vel audiverit expositionem eam, quae ita conscientiae satisfaciat, ne verba pro verbis substituendo, addendo, detrahendo, transponendo videatur verba Dei mutare, aut ea emendare; quemadmodum ludimagistri puerorum schedas corrigere solent, et mentem eorum divinando et conjectura deprehendentes veniam illis dant imperitioris et imprudentioris loquelae[2]). Neque igitur hoc pro sensu reddendum, quod quomodocumque legenti in mentem venit, quamvis per se non falsum; sed quid Sp. sct. in quovis loco docet. Spiritus autem in scriptura loquitur verbis „aptis ad excitandum in auditore eam cogitationem, quae est in loquente, ita ut verba scripturae eam mentem significent, cujus sunt signa." Propterea ea tantummodo interpretatio vera et genuina habenda est, „quae pondus vocabulorum, usitatam rationem phraseos, ἀκολουθίαν rerum, et ἀναλογίαν scripturae observat, et rebus ipsis in omni ipsarum modo atque ordine comprobatur"[3]). In interpretatione autem illa ab interprete, ut feliciter procedat,[4]) duo prae ceteris

---

1) *Epist. dedicatoria* comment. in *minores Prophetas* praefixa.

2) *Summa Theol.* c. 6, § 39.

3) l. l. § 45.

4) De COCCEJI regula hermeneutica „verba omne id significant, quod significare possunt", saepissime male intellecta cf. VAN GORCUM, l. l. p. 45—62; THOLUCK, l. l. T. II, p. 230; *Nederl. Stemmen*, T. IV. p. 149.

COCCEJUS observari voluit, *comparationem* scil. *spiritualium* (*σύγκρισις πνευματικῶν*), quae vocatur, et *analogiam fidei*. Ut rite, quid de utraque COCCEJUS statuerit, intelligamus, videamus, quomodo sibi informet Sp. sct. rationem, tum erga diversas scripturae partes, tum erga singulos fideles. De posteriore jam antea, de COCCEJI liberaliori loco agentes quem noster inter aequales obtinebat, locuti sumus [1]). Hic pauca sufficiant ad ejus de interpretandis scripturis opiniones explicandas. Spiritus sct. quum resideat in cordibus fidelium, et magis magisque in omnem veritatem eos ducat, consentaneum est, ut quisque intento animo scripturae incumbat, *donec omnes eo tandem perveneriut, ut omnia in scripturis abscondita mysteria plane intelligant*. Attamen ne putemus tali profectu, quae antea docti eramus, inania fieri atque falsa. Spiritus enim sibi contrarius esse non potest, sed ubique sibi est similis. Ipso ducente ex scriptura jam exhaustae sunt veritates indubitabiles, ab omnibus vere fidelibus toto corde amplexae. Id tenendum esse nobis inculcat in scripturae interpretatione et expositione, omnes interpretationes secundum illum consensum et *ἀναλογίαν* examinandas esse. Hac in re scriptores N. T. nobis praeierunt [2]). Itaque analogia illa est quasi norma, ad quam omnia regulanda et secundum quam difficiliora ex facilibus et bene jam intellectis explicari debent. „Omnis interpretatio" — ita loquitur in praef. ad comment. in Epist. ad *Philipp.* — „omnis inter-

---

1) p. 65 sqq.

2) *Summa Theol.* c. 6 §. § 81.

pretatio et πρόχειρος procedat secundum ἀναλογίαν τῆς πίστεως, secundum conformitatem fidei. Neque enim, quae credidimus (non dico quae opinamur, sed de quibus habemus fidei πληροφορίαν ac certitudinem in bona conscientia, atque adeo cum scientia), destrui debent per ea, quae addidiscimus et ad quae proficimus. Deus enim sibi contrarius non est."

Quod autem ad prius attinet, antea jam vidimus totam scripturam divinitus inspiratam eum habuisse. Quid inde sequitur? Unus quum sit Spiritus, qui in omnibus scripturae partibus loquitur, non potest alio loco aliud quid docere, sed omnes partes arcte inter se cohaereant, optimeque inter se conveniant, necesse esse statuit. Quod quum ita sit, si interpres verbum Dei bene vult intelligere, *comparatio spiritualium* ab eo instituatur necesse est, quod si omittat, periculum exstat, ne in errorem deducatur, et sonum alicujus dicti sequens aliquid verum accipiat, quod luculenter falsum est, quodque ita esse facile vidisset, si modo omnia antea rite comparasset. Ea demum diligenter adhibita omnes falsas de verbo Dei opiniones feliciter oppugnari et feliciter in veritate indaganda procedi censet. „Nihil" inquit [1]) „ad fibras omnes falsarum doctrinarum exstirpandas potest fingi utilius magisve necessarium clara et perspicua veritatum Christianae religionis ex *omnibus scripturarum*

---

1) *Praef.* considerationi *principii Evangelii Johannis* praefixa. Cf. etiam *Animadv. in Bell. etc.*: „Omnes libri inter se in veritate *ejusdem doctrinae* conspirant, ita ut etiam in *abstrusissimis mysteriis*, humanam scientiam et conjecturam fugientibus, se *mutuo explicent*."

partibus juxta uniuscujusque loci genuinam indolem et vocabulorum emphasin deprompta et in unam *σύνοψιν* composita conformi explanatione. Nulli enim dubium esse debet, quin Spiritus sct. *idem fidei mysterium per omnes amanuenses* suos expresserit, et *ubique sui similis* sit. Et profecto, qui in hoc studium serio incubuerit, ut quid in omnibus sacrosancti verbi partibus dictetur, pernoscat, ei non poterit non occurrere *pulcherrima facies* divinae sapientiae *ubique eadem*, in omnibus vero partibus *diverso splendore* et *novo semper vigore* effulgens, quae sapientia tam accurate, distincte, plene, conformiter, solide, robuste, et ut uno verbo dicam, *θεοπρεπῶς* in s. scripturis deformata, unicum fidei semen et imaginis Dei exemplar est; locupletissimus et irrefragabilis testis scripturarum divinitatis. Ita ut illa sapientia conscientiae se probans et ostendens, sit *vera clavis cognitionis scripturae*". De *comparatione* illa *spiritualium* noster saepissime loquitur. E multis unum adhuc dictum ex ejus scriptis afferre liceat, ut ejus mentem hac de re rite cognoscere nobis contingat. „Habet divina" inquit [1]) „institutio scripturae instar augusti palatii, in quo ordine consideant innumeri seniores, qui viritim admissum novum discipulum erudiant, a collegis suis dicta confirment, roborent, explicent, illustrent, nunc fusius dicta contrahant, nunc contractiora diffundant et deducant, generalius dicta distinguant, distincta generatim innuant, regulas exemplis fulciant, exempla in

---

1) *Praef. minoribus Prophetis affixa.* p. 3 sqq. Cf. etiam *praef.* in comm. in Epist. ad *Galatas*, alibi.

regulis judicent, ita ut omnium de eadem re agentium dictorum is sensus accipi debeat, qui est ullius, et qui nulli refragetur; et plena institutio ea demum censeri, quae omnium virorum Dei sit vox συμφωνία et ὁμόνοια. Quae observatio magnum et illustre praebet κριτήριον, ubi inter se componuntur interpretationes subnixae omnium scripturarum harmonia et singulorum vocabulorum vellicationes et detorsiones, quas si admittamus, efficitur ut sanctuarium Dei, quod aperitur in scriptura, instar habeat consessus hominum ebriorum, quorum unus canit, alter flet, tertius jurgatur, alius garrit, denique ubi οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἀκούει; quatenus omnis inter verba virorum Dei conspiratio per eas vellicationes et detorsiones solvitur".

§ 5.

De nexu, quem inter diversas s. Scripturae partes sibi COCCEJUS *informavit.*

Quae superiore § diximus de *comparatione* q. d. *spiritualium* arcte cohaerent cum COCCEJI notionibus de intimo nexu, quo singulas scripturae partes inter se conjunctas esse statuit, quae rursus tum in exegesi, tum in dogmatica ejus Theologia magnam vim habuerunt, imo cum superioribus conjunctae, totius ejus Theologiae clavis fere dici merentur. Videamus igitur, quid hac de re auctor senserit.

Omnes scripturae partes uno veluti fundamento nituntur, quod si quis bene tenet, clavis fere est ad omnia recte intelligenda. Fundamentum autem illud

est „JESUS CHRISTUS ejusque justitia" [1]), s. *unitas foederis*, quod Deus cum hominibus iniit [2]). Itaque tota scriptura inde ab initio de CHRISTO loquitur [3]). Quae in N. Foedere docentur, implicite jam in V. Foedere dicta sunt. N. Foedus igitur in Vetere latet, V. Foedus in Novo patet. Propterea V. Foedus si quis abjicere vel negligere audeat, is ipsi luci Novi Foederis injuriam facit et *instar habendus est illius, qui alterum sibi oculum, tanquam non necessarium, eruit.* Tum enim demum plane effulget lux Novi, „quando non tantum promissionis ac praedictionis consensu historia et doctrina CHRISTI fulcitur, sed etiam quae in toto sácrarum literarum corpore de quacumque veritatis divinae parte et toto mysterii complexu, ordine et analogia ab omnibus viris Dei dicuntur, inter se comparantur et componuntur et conscientiae cum solida demonstratione proponuntur" [4]). Studium igitur V. Foederis nostro quoque tempore quam maximi momenti habendum esse statuit, ut ob alias causas, tum etiam ad melius haereticos refutandos, perpetua analogia promissionis, prophetiae et Evangelii demonstrata, tum etiam ad felicius Judaeos convincendos, ut ad CHRISTUM se convertant: quem, male promissione et prophetiis intellectis, rejecerunt [5]).

---

1) *Summa Theol.* c. 6, § 29.

2) „Quum Deus unus sit, et justitia proinde una sit, et finis unus sit; fieri non potest, ut fundamentum diversis hominibus aut diversis temporibus possit esse diversum." l. l. c. 7, § 39.

3) Cf. Comm. in Epist. ad *Hebraeos*, c. 10, § 48. Praef. in Epist. ad *Romanos*, p. 8.

4) *Summa Theol.* c. 2, § 22.

5) Praef. in *Ultima Mosis*, p. 2.

Tota enim quaestio de hoc agit „an JESUS et Apostoli id praedicaverint, quod CHRISTUM et Apostolos ipsius praedicaturos esse MOSES et Prophetae antea testati sunt..... Quare si comperiatur, hoc *Baptistam*, hoc JESUM, hoc Apostolos dixisse, quod praenuntiatum fuit, auditum iri, nulla causa edi potest, quare non eas voces ex ore JESU, ut CHRISTI et Filii Dei, et ex ore ejus discipulorum, ut verba Apostolorum Dei et CHRISTI recipiamus" [1]).

Itaque JESU et Apostolorum exemplum et methodum secuti id imprimis debemus demonstrare, „quae in V. F. leguntur, eadem in N. scribi, quemadmodum PAULUS dicit (2 Cor. 1 : 13): „*Non alia scribimus, quam quae legitis*" (?); sive ea, quae MOSES et Prophetae scripserunt, per Evangelium nobis exponi atque per illud ac *historiam sequentium temporum* nobis narrari; sive viceversa, quae in Evangelio proponuntur et narrantur, in verbis MOSIS et Prophetarum praenuntiata ostendamus." [2])

Quantum pretii COCCEJUS Veteri Foederi tribuerit, dilucidius nobis patebit, si attendamus ad ea, quae de singulis ejus partibus statuit. Primum apud eum locum obtinent scripta *Mosaica*, utpote reliqui canonis

---

1) Cf. Dedicatio explicationi Epist. ad *Hebraeos* praemissa, p. 5.

2) l. l. Praef. ad *Ultima Mosis*, p. 3. Eodem loco diligens V. F. studium commendatur utpote fontis, ex quo CHRISTUS et App. hauserunt, ut nobis pateat quae allegantur, revera ita se habere, *ne nobis*, ut aliis, *accidat*, *ut dicamus* „quae CHRISTUS et App. ex veteribus scripturis deduxerunt, non obligare fidem nostram *vi argumentationis* et *demonstrationis*, sed momento *auctoritatis supernaturalis*, ut novae artis repertores inter Pontificios sapiunt."

canon habenda [1]). Fuit enim MOSES *servus fidelis in toto domo Dei*, i. e. interprete COCCEJO [2]), *in ecclesia omnium temporum ad testimonium eorum, quae in posterum dictum iri promissum erat* (Hebr. 3 : 5), unde consequitur omnem religionem et fidem, veramque viam ad vitam aeternam per eum traditam esse: neque fieri potuisse, ut Prophetae, CHRISTUS et Apostoli quicquam extra eum locuti sint. Cujusvis igitur religionis argumentum, ut vera esse pateat, ex MOSIS enuntiato demonstrari possit, necesse est. Propterea „etiamsi CHRISTUS sit lux, et praedicatio Evangelii sit veritas, quae ad omnem conscientiam manifestari potest, tamen necessario debet habere testimonium in MOSE et Prophetis" [3]). Hinc ipse CHRISTUS ejusque discipuli ad suam auctoritatem doctrinaeque, quam tradunt, veritatem affirmandam semper ad MOSEM provocant, et diserte saepius affirmant, se nihil aliud docere, quam antea jam ipse et Prophetae locuti erant [4]). Ab altera vero parte nullum unquam vere in CHRISTUM credidisse, qui non crediderit

---

1) *Pot. Script.* p. 8. *Ultima Mosis*, § 589 sqq.

2) l. l.

3) Cf. Comm. in Ep. II ad *Tim.* c. 3, § 88 sqq.

4) *Summa Theol.* c. 2, § 20, 21: „Neque ipse CHRISTUS testimonium MOSIS et Prophetarum voluerit, aut propter sapientissimam Dei ordinationem potuerit abdicare; quin illud pro maximo allegavit (Joh. 5 : 46 alibi). Ne miremur, App. perpetuo auctoritate V. T. usos, et protestatos, se nihil extra MOSEM et Prophetas docuisse (Act. 26 : 22) et justitiam Evangelicam ad legis non evacuationem, sed stabilitionem pertinere. Praeparaverat nempe Deus testimonium CHRISTO, MOSIS nimirum, *testis fidelis in tota domo ejus*, et succedentium Prophetarum, ut sine negocio et statim ab ovibus suis agnosci posset."

MOSI et Prophetis, saepius diserte COCCEJUS affirmat [1]).

Quod autem ad Prophetas attinet, scripta eorum „unum habent scopum et nucleum; unum systema faciunt" [2]). Omnia fere, quae in iis continentur, ad JESUM et fata ejus regni posteriora referenda esse statuit, ita ut quasi *rerum futurarum historiam* contineant [3]).

Propterea diligenter eorum scripta investigari voluit. Jubet enim hoc CHRISTUS, saepius Judaeos et Pharisaeos propter socordiam vituperans, qua capti illi non attenderent ad *signa temporis*, ideoque non crederent ei, quem Deus miserat [4]). Neque nos magnum non detrimentum capiemus, si CHRISTI mandatum, ad signa temporis attendere jubentis, neglexerimus [5]). Quod in majus quidem vitium nobis vertetur, quum sub N. Foedere nos vivamus, cujus foederis ecclesiae „magna sane est praerogativa et gloria, quod scit, ea, quae de salute et consolatione Sionis a Prophetis

---

1) Cf. *Admon. de princ. fidei*, p. 4. *Script. pot.* c. 3, § 2 alibi.

2) Praef. in *Minores Prophetas*, p. 4.

3) l. l. Cf. etiam *Summa Theol.* c. 6, § 32. Praef. in *Ultima Mosis.* Proleg. in *Apocalypsin Johannis*, p. 1.

4) l. l. p. 1. Vid. *Matth.* 16:3; *Luc.* 12:56. *Signa temporis* COCCEJUS intelligit facta Dei et inventa, quibus cognoscitur, quidnam de verbo Dei impletum sit et quantum supersit implendum, et ad qualem visitationem se debeat homo praeparare (l. l.).

5) „Quodsi autem Judaei, apud quos coepta sunt impleri verba Dei, in tantam iram inciderunt per socordiam, quid fiet de nobis, si etiam post sedecim saecula non magis probemus tempora, quam Judaei, et nesciamus Evangelii veritatem ex scripturis propheticis comprobare, et CHRISTUM Regem, et Regnum ipsius ejusque administrationem demonstrare, ignorantes tempus visitationis nostrae?" l. l.

scripta sunt, ad se pertinere, et propter se et suam institutionem, cautelam, directionem, confirmationem, consolationem, denique et spem scripta esse" [1]). Ab illo igitur studio ne nos absterreamur propter multas, quas in prophetiis invenimus, ambiguitates, ex parabolis, aenigmatibus, symbolis et typis, quibus saepius viri sancti utuntur, ortas.

Neque enim illa *liquidum* non et *certum* sensum habent, dummodo referuntur ad mysterium Dei, CHRISTUM ac regnum ejus „in quo omnes promissiones Dei et omnes consolationes scripturae concentrantur, et sine cujus veritate et sinceritate scripturae non habent uniformam, constantem, indetortam, saturam et conscientiae satisfacientem ubique expositionem" [2]). Nobis praeterea exstant promissiones, quod omnes obscuritates magis magisque in lucem vertentur, siquidem diligenter et ad certissimam regulam omnia perscrutemur. Spiritus enim promisit (Dan. 12 : 4, 9) fore „ut extremis temporibus multi sint scrutaturi, et *major futura sit scientia*". Quid? quod ipse Servator docuit (Matth. 13 : 45), „Regnum coelorum ultimis cumprimis temporibus similitudinem habere mercatoris, pretiosos uniones et gemmas, pro quibus viles aut fucatae prostant venales atque obviae, quaerentis". Verum hac in re profectum diu detinuerunt, ut alia, sic etiam *ignoratio terminorum sacrae scripturae*, *Theologia scholastica*, neglectus verae methodi et solidae *συγκρίσεως*, quam soli illi, qui regnum

---

1) Praef. ad *Min. Proph.* p. 9. sqq.

2) *Summa Theol.* c. 6, § 29, 30.

Dei et justitiam quaerunt, invenire et tenere possunt [1]).

Ceterum de ratione, qua prophetias illas explicandas esse noster censuit, non est quod fuse moneamus. Typice universe eas evolvere voluit, continuatam prophetiarum impletionem accipiens. Multa, quae in iis indefinite praedicantur, non debere nos impedire statuit, quominus animadvertamus et judicemus, „quae res a quoquam gesta sit ad prophetiae exemplum, ita ut verba prophetiae ei rei gestae et illi homini conveniant". Quod si locum habet, „talis res vel talis homo haud plane alienus a prophetia habendus est, etiamsi non dici potest in iis totum complementum prophetiam habere" [2]). Porro, quum prophetiae omnia perfecto ordine temporis continent, in temporis qualitate, quae per ordinem rerum futurarum indicari solet, magnum nobis exstat emolumentum ad res et personas in historia inveniendas, quibus optime quadrat una alterave prophetia [3]). Qua in re ut feliciter

---

1) Praef. ad *Min. Proph.* p. 2, 6.

2) *Summa Theol.* c. 6, § 33, 34.

3) l. l. Praef. in *Min. Proph.* p. 15. „Si autem in prophetia sit rerum praecedentium vel subsequentium distinctio, ea exempla, in quibus historia ordinem prophetiae exprimit comprobatque, pro implementis habeantur. Quis enim dicet, ordinem rerum ordini praedictionum convenientem et exacte respondentem, abire a mente Sp. sct., et significatione eloquiorum Dei? Absurdum dictu est, *id non significari per verba quod exprimunt et animo prudenter pensitantis repraesentant.* In rebus humanis imaginis et corporis similitudo monstrat pictoris intentionem: in divinis picturis non faceret? Atqui Sp. sct. dictatorem verborum propheticorum nihil latet eorum, quae facturus est (in ecclesia et historia). Igitur et opera Dei et rerum corpora verba indefinitius dicta ad se rapiunt, coguntque determinate ea de se intelligi."

procedamus regulam observandam esse statuit: „*Omnia praedicata conjunctim demonstrare instar definitionis aut nominis proprii subjecta nominum analogorum*" [1]). Si bene intelligo regulam illam obscurius expressam, sic explicari debet. Si nobis in historiae serie occurrit res vel persona, quae eadem praedicata habet, sive de quibus eadem dici possunt, quae nobis in mentem veniunt, quando in prophetiis nomen typicum legimus, tum certi esse possumus, illam rem vel illam personam sub hoc nomine (quod proprie accipi nequit), intelligi debere. Tunc enim patet, utrumque subjectum, èt quod intelligitur sub nomine illo (subjectum nominum analogorum), èt quod in historia occurrit, eadem praedicata habere. Sic praedicata easdem partes agunt, quas vulgo agunt nomina propria, quae serviunt ad unum subjectum ab altero distinguendum.

In ea tamen interpretatione magnam prudentiam adhibendam esse, saepius dicit. Quod utinam ipse semper fecisset COCCEJUS; tum non tot et tantas textuum contorsiones commisisset; neque historicam V. F. partem adeo praetervidisset, vel ipsius nugis accommodasset [2]). Quidquid ceterum de COCCEJI hypothesibus, quas nequaquam defendere voluimus, dicendum sit, magni certe facere debemus singularem

---

1) l. l. p. 14.

2) De COCCEJI Prophetarum interpretatione cf. etiam VAN GORCUM, l. l. p. 62 sqq., ubi ex *Cantico Canticorum* aliisque locis exempla afferuntur COCCEJI typicae interpretationis, et ecclesiae temporum, et periodorum, quae ubique fere auctor noster invenit. THOLUCK, l. l. T. II, p. 232.

ejus animum scripturae investigandae, ardens studium, ut unumquemque ad eam perscrutandam excitaret, et intimam quam habebat persuasionem, diligenter scrutando novas continue veritates ex s. scripturis hauriri posse. Postea ratione habita ejus systematis dogmatici nonnulla adhuc hac de re monebimus. Nunc ad ejus dogmaticam Theologiam arctiore sensu sic dictam properamus.

SECTIO ALTERA.

DE THEOLOGIA COCCEJI DOGMATICA.

§ 1.

De notione foederis universe spectata.

Coccejus scholasticae methodo, verum scripturae et fecundum studium plane tollenti, sese opponens, sumtis ex sola scriptura dogmaticae disciplinae tam forma quam materia, novam in dogmatica tractanda methodum condidit, *foedera Dei, cum hominibus inita*, principium statuens, unde totam illam disciplinam tractari voluit.

Antequam Theologiam illam exponimus, nonnulla nos in medium proferre oportet, quibus melius intelligi possit, cur laudatam rationem in dogmatica disciplina enucleanda noster secutus sit.

Cocceium notionem illam de foedere adhibuisse,

qua duce totam Theologiam dogmaticam ordine et organica methodo exponeret, si spectemus ejus erga scripturam rationem, nequaquam miramur. Etenim ei, ex sola scriptura sapere cupienti, non potuit non patere in ea acta Dei cum hominibus, quibus ille his se Patrem clementem ostendit, vulgo a s. Scriptoribus nomine *foederis* proposita esse. Facilius hoc ei evenire potuit propter singularem auctoritatem, quam V. Foederi eum tribuisse antea jam vidimus. Biblicam autem Theologiam condere cupienti, quid magis ei in promptu esse potuit, quam has ipsas notiones basin et fundamentum totius systematis eligere, quas ipsâ scripturâ sibi oblatas videbat.

Sed non tantum scriptura, ecclesiae etiam Reformatae de foedere notiones methodo ejus materiem dederunt. Notio enim foederis peculiari modo propria est ecclesiae Reformatae ad necessitudinem exprimendam, quae Deum inter et homines exstat. Involvit notionem religionis, et cum ea conjunctam notionem amicitiae, unionis et communionis primum cum Deo, tum etiam cum iis, qui eodem modo cum Deo se conjunctos sentiunt [1]). Jam apud antiquissimos Theologos Reformatos nobis occurrunt enuntiata, quae huic notioni Foederis respondent. Sic ZWINGLIUS religionis originem ex eo ducit, quod Deus „hominem fugitivum ad se revocavit,..... non aliter quam pius pater, qui filii sive stultitiam sive auda-

---

1) Cf. SCHNECKENBURGER, *Die reformirte Dogmatik*, *Stud. u. Krit.* 1848. p. 77—80. Vid. etiam *Repertorium voor buitenlandsche Theologie, uitgegeven door* DE KEYZER, a° 1848, T. II, p. 91—95.

ciam quidem odio habet, sed odio filium habere nequit", et nova obedientia sibi eum adjunxit [1]).

Notioni illi de foedere optime aptari poterat *tum* intimus nexus, quo inter se conjunctas esse diversas s. scripturae partes Reformati sibi informarunt, et quem contra Socinianos et Anabaptistas acriter defenderunt, *tum* ratio, qua systemata dogmatica construere solebant. Quum enim Lutherani magis ad unum dogma attenderent, cui cetera aptare solebant, illi contra majori vi attenderunt ad objectivam Dei patefactionem, qualis illa nobis in utroque Foedere conservata est; quod conjunctum exsecutionem continere cogitabatur unius ejusdemque foederis gratiae, fundatum in pacto aeterno Deum inter et Filium, tanquam foederis Mediatorem, quocum conjunctus et unitus peccator particeps fit communionis et amicitiae Dei, quam Mediator ei acquisivit.

Hisce consentaneum mature jam apud theologos germina methodi foederalis occurrunt. Sic dicit HYPERIUS [2]), „Deum condidisse mundum et in eo homines ex quibus constitueret dilectam ecclesiam", ad hoc „praescripsisse illico primis parentibus, quonam observari et coli pacto ab ipsis vellet, ut vita beata et sempiterna fruerentur."

Quae apud HYPERIUM legimus, eadem, sed enuclea-

---

1) Cf. ZWINGLIUS, *De vera et falsa religione.* Opp. omn. ed. SCHULERO et SCHULTHESSIO, T. III, p. 174.

2) HYPERIUS, *Elementa Christianae religionis.* p. 19. Cf. etiam ejus *Methodus Theologiae s. praecipuorum Christianae religionis locorum communium libri tres.* Vid. de illo libro HEPPE, l. l. T. I, p. 144—148.

tius invenimus apud URSINUM et OLEVIANUM. Sic URSINUS in *Explicationibus Catecheseos Palatinae* singulari capite agit de foedere Dei cum hominibus [1]). Quaeritur ibi de foedere Dei: 1° quid sit? 2° possitne iniri sine Mediatore? 3° sitne unum an plura? 4° quomodo vetus et novum foedus conveniant et differant? Foedus universe definitur tanquam „mutua pactio duarum partium, qua altera alteri se certis conditionibus obligat ad aliquid faciendum, dandum vel accipiendum." Eodem modo foedus Dei dicitur esse „mutua pactio inter Deum et homines, qua Deus confirmat hominibus se futurum iis propitium, remissurum peccata, donaturum justitiam novam, Spiritum sanctum et vitam aeternam per et propter Filium Mediatorem.', In eo foedere „vicissim homines se obligant Deo ad fidem et poenitentiam, h. e. ad recipiendum vera fide hoc tantum beneficium et ad praestandum Deo veram obedientiam." Porro hujus foederis cum Testamento similitudinem auctor in mentem revocat, quia pactum est a Deo per Mediatorem, cujus morte demum vim suam habet. „Testamentum hoc foedus vocatur, quia interventu mortis CHRISTI testatoris facta est haec reconciliatio ut esset rata; seu quia CHRISTUS hanc reconciliationem morte sua acquisivit, eamque nobis reliquit non secus ac parentes morientes bona sua liberis relinquunt (Hebr. 9 : 15, 16, 17)."

Simili modo OLEVIANUS hac de re loquitur tum in ejus *Expositione symboli apostolici*, tum in ejus libro: *De substantia foederis gratuiti, itemque de mediis*,

---

1) l. l. ed. REUTERUS, T. I, p. 99.

quibus ea ipsa substantia nobis communicatur." Deus, qui cum hominibus foedus iniit, est Pater, Filius et Spiritus sanctus, qui singuli partes suas agunt in foedere constituendo, et in eo hominibus applicando [1]). Homines, quibuscum foedus Deus iniit, sunt ii, „quos ex turba damnatorum decrevit gratis adoptare" [2]). Substantia foederis gratuiti definitur [3]) tanquam „promissa et jurata a Deo donatio suimet in Deum nunquam nobis irascentem, Jes. 54 : 9, et assumptio nostra in filios Dei et haeredes vitae aeternae in JESU CHRISTO — facta semini Abrahami, qui est CHRISTUS, et omnibus, qui fide gratis donati huic semini inseruntur, et in eo justificantur et glorificantur citra conditionem aut stipulationem ullius cogitationis bonae ex ipsorum viribus: ut pro gratuita sua bonitate ab iis celebretur in hac et aeterna vita." Praecipua deinde dogmata Christiana symbolum Apostolicum secutus auctor exponit. In altera deinde parte agit de modo, quo Deus electis foedus suum applicat.

Quamvis autem methodus, qua in hoc libro auctor utitur, in multis adhuc discrepat ab ea, quam COCCEJUM secutum esse videbimus, apud quem notio foederis multo majore ambitu in doctrinae Christianae expositione applicatur, tamen re ipsa *foederalis* illa dici potest. Ipse COCCEJUS etiam in praefatione, quam doctrinae de foedere et testamento Dei praemisit, prae ceteris viris doctis OLEVIANUM inter illos

---

1) l. l. ed. a° 1585, p. 5.
2) l. l. p. 12.
3) l. l. p. 2.

recenset, qui ante ipsum de foedere illo disquisitiones instituerunt.

Praeter OLEVIANUM duo imprimis viri docti nominandi sunt, qui certo certius magnam vim habuerunt in methodo, quam COCCEJUS in Theologia tractanda secutus est. Alter est MATTH. MARTINIUS, *Bremae* Theologiae Professor, quum COCCEJUS in hac urbe studiis Theologicis operam daret; alter CLOPPENBURCH, collega postea nostri in Academia *Franequerana*.

Ex multis, quae nobis MARTINIUS reliquit, operibus patet Theologiam foederalem magnopere apud eum valuisse. Ut exemplum afferam, in opere ejus, quod inscribitur: *Christianae doctrinae summa capita*, Dei ratio erga homines non tantum post lapsum, sed etiam ante eum sub imagine foederis proponitur. Post creationem Deus cum homine iniit foedus *naturae*, quod deinde homine lapso secutum est foedus *gratiae cum quibusdam peculiariter delectis*. Tota MARTINII tractandi methodus illis cogitationibus auctoris de foedere ducitur; ut patet ex modo, quo singula doctrinae capita inter se connectit. Primum agit de foedere post creationem. Porro ex eo, quod homo foedus illud non servavit, sed transgressus est, ansam capit loquendi de gubernatione mundi, de peccato hominis et poena. Per illam autem transgressionem homo in aeternum periisset, nisi Deus ejus misertus novam gratiam ei obtulisset in foedere gratuito, tanquam salutis certae fundamento. Ita auctor venit ad foedus gratiae. In illo foedere Deus nobis promittit certa beneficia, et nos ei vicissim promittimus nostra officia. Foedus gratiae deinde explicatur, ex-

positis *Symbolo Apostolico* et *Decalogo.* In prioris expositione agit auctor de partibus paciscentibus, Deo et ecclesia, de morte Mediatoris, et ejus efficaciis ac beneficiis; in posterioris enucleatione tractat de lege nostris cordibus inscribenda, secundum quam nobis, cum Deo foederatis, vita instituenda. Utrumque conjunctum summam continet verbi *audibilis*, quo Deus nobiscum agit; huic accedit verbum *visibile* in divinis sacramentis, quae nunc in Novo Testamento sunt s. Baptismus et s. Coena, quibus foedus gratiae universe obsignatur [1]). Ut in opere laudato, ita etiam alibi MARTINIUS de foedere loquitur [2]).

CLOPPENBURCH nobis reliquit: *Disputationes XI Theologicas de foedere Dei, et testamento, veteri et novo* [3]). Auctor in illis deinceps agit: de *foedere operum* cum Adamo primo; de ejus antiquatione; de novo foedere gratiae ejusque sponsore; de novi foederis testamento, in CHRISTI morte obsignato, quo nobis offertur *tum plenissima in praesens cum Deo reconciliatio, tum* etiam *certa haereditatis vitae aeternae coelestis exspectatio.* Foedus autem illud duplicem habet oeconomiam; altera est *novi foederis gratiae oeconomia vetus*, quae in Veteri Testamento continetur; altera *oeconomia nova*, cujus rursus prior dividitur in periodum ante MOSEM, et post MOSEM; quae tamen oeconomiae non impediunt interiorem gratuiti foederis uniformitatem. Nam sub V. Testamento sive sub foederis novi veteri oeconomia Evangelium de CHRISTO notum erat *tum* per factas

1) Cf. HEPPE, l. l. p. 197 sqq.

2) Cf. YPEY, Geschied. van de Chr. Kerk in de 18de eeuw, T. VII, p. 225.

3) Cf. CLOPPENBURCH, *Opp. Omn.* T. I. p. 487—570.

promissiones, *tum* per sacrificia et sacramenta connexa. Utriusque Testamenti convenientiam et differentiam auctor deinde exponit tribus disputationibus, ubi agit *de Testamenti Veteris ecclesiae communi nobiscum salute, fide et religione; de comparatione Testamenti Veteris et Novi Melioris.* In postrema tandem disputatione agitur *de Mediatoris novi testamenti officiis.*

Ex superioribus luce clarius patet, COCCEJUM nihil novi quodammodo fecisse, quum Theologiam methodo foederali tractare coepisset. Multi enim jam ante eum hujus rei exemplum dederant [1]). Hic tamen tenendum est, nullum ante eum in ecclesia Reformata methodum illam eo ambitu, neque eo consilio applicuisse. COCCEJUS methodo foederali usus est, ut sic scholasticam methodum profligaret, et ejus loco biblicam in dogmatica disciplina tractanda methodum introduceret. Hunc scopum MARTINIUS et CLOPPENBURCH sibi non proposuerunt. Apud utrumque scholastica methodus in dogmatibus tractandis nobis occurrit. Hujus imprimis „*disputationes de foedere*," hanc methodum redolent. Omnes polemico charactere indutae sunt; sin-

---

1) Praeter theologos in textu laudato afferri etiam possunt BOQUINUS, *Exegesis divinae atque humanae κοινωνίας*, ed. a°. 1561; GELLIUS HOTZENUS, *de gratuito Dei foedere, Leidae*, a° 1584; EGLIN, *Disputatio de foedere gratiae*, ed. a° 1613; alii. Vid. HEPPE l. l. T. I. p. 148, 192—195, alibi. YPEY, l. l. T. VII, p. 225. Posterioris foederis expositio multis nominibus cum COCCEJO convenit. Dicunt nonnulli (cf. GASS, l. l. T. II. p. 265; SCHNECKENBURGER, l. l. p. 78). COCCEJUM *Marpurgi* eo tempore in Academia versatum fuisse, quum EGLIN ibi professione fungeretur; ita ut hic magnopere contribuisse censeri debeat in COCCEJI Theologicas opiniones formandas. Quod falsum est. COCCEJUS nunquam in Academia *Marpurgensi* versatus est. Cf. *Praef.* Operibus ejus praefixa. p. 5.

gulae res singulis thesibus in iis proponuntur et contra adversarios defenduntur, ita ut tota tractandi methodus longe differat ab ea, quam COCCEJUS in suo libro adhibuit. Quando nunc attendimus insignem locum, quem sibi pro singulari sua variae doctrinae copia, COCCEJUS in ecclesia Nederlandica Reformata comparaverat, multosque deinde eosque celeberrimos theologos ipsius exemplum secutos, Scholasticismo in Theologica disciplina rejecto, foedera Dei cum hominibus fundamentum fecisse in tota Theologia tractanda, jure mihi ille dici videtur auctor methodi foederàlis, Scholasticismo oppositae.

Monenda nobis pauca supersunt de ratione, qua methodus, quam COCCEJUS aliique in Theologia tractanda secuti sunt, erga dogma ecclesiae Reformatae se habeat. Sunt, qui dicant COCCEJI methodum talem esse, ut plane pugnare censenda sit cum dogmate in ecclesia Reformata de praedestinatione recepto, unde facile ejus adversariis fuisset, qualescunque ei haereses objicere [1]).

Quod negandum mihi videtur. Tota ratio, qua COCCEJUS foederis notionem exponit, optime aptatur particularismo ejus temporis, imo eo nititur. Foederis Dei, in quo Dei amicitia et communio offertur, ii

---

1) Cf. MAX. GOEBEL, *Gesch. des christ. Leb.* T. II. 156 sqq.: „Die Coccejanische Lehre vom Gnade- und Werkbunde musste aber auch nothwendiger Weise die ganze herrschende Kirchenlehre allmählig umwandeln — denn es lässt sich nicht verkennen, dass sie zwar biblisch wohl gegründet war, nicht aber mit der strengen Gnadenwahl stimmte, diese vielmehr allmählich mildern und durchbrechen musste. — — — Dagegen konnte es aber auch den Gegnern KOCHS nicht schwer werden, ihm Neuerungssucht und Unrechtsinnigkeiten in allen Hauptstücken (!) vorzuwerfen und nachzuweisen, etc."

tantum participes redduntur, quos ab aeterno Deus ad hoc elegit et quibus etiam vires dat foedus assumendi. COCCEJUM ab adversariis tantis accusationibus aggressum fuisse, minime spectat ad ejus notiones de ipso foedere. Pro parte explicandae illae sunt ex eorum praeoccupatis opinionibus et odio erga virum, partim ex novitatibus, quas COCCEJUS invitus ex s. scriptura hausit. COCCEJUM minus in Dogmatica praedestinationis dogma proponere, nondum probat, ejus doctrinam cum ecclesiastica pugnare. Synodus etiam Dordracena iis se opposuit, qui nimis dogma illud urgebant, et contra severiores nonnullos Infralapsarismo favit. Ne CALVINUS quidem cum dogmate illo *Institutionem* incipit, sed de illo demum agit in libro *tertio* (c. 25, § 23); quum ab altera parte constat, inter Foederalistas etiam fuisse, qui *Supralapsarismum* professi sunt, ut HEYDANUS, HEIDEGGER, *Formulae consensus* praecipuus auctor.

Foederalistae sola methodo a Scholasticis differunt [1]). Quapropter etiam ii adversarii, qui a partium studio magis alieni erant, laudatam [2]) methodum magis ob formam, quam quidem ob rem ipsam, vituperarunt. Quod de COCCEJO valet, idem dicendum est de iis, qui ante eum in Germania de foedere egerunt. Injuria HEPPE aliique contendunt, hanc Theologiae tractandae methodum proprie non convenire cum Calvinistarum opinionibus ideoque arctiore modo co-

---

1) Cf. SCHWEIZER, l. l. T. I. p. 85 sqq.

2) Cf. MELCHIOR LEYDEKKER, *Praef.* in comm. ad *Catechesin Palatinam*, p. 38. „Ostensum est, solita methodo oeconomiam foederum facilius et rectius explicari, quam nova, quae intricatior et difficilior."

haerere cum placitis, quae auctore MELANTHONE in ecclesia Germana Reformata viguerint [1]). Haec sententia nititur confusione *Melanthonianismi* cum ecclesia Reformata, quae in Palatinatu et in aliis Germaniae locis post Reformationem exstitit, et quam in omnibus, quae ad doctrinam et cultum pertinent, cum exteris ecclesiis reformatis consentire minimeque ex MELANTHONIS, a Lutheranis in posterioris vitae stadio divergentis, auctoritate ortam dici posse statuimus [2]). URSINUS et OLEVIANUS tam *Lutheranismo* quam *Melanthonianismo* se opposuerunt, propterque id multorum odio affecti sunt [3]). Operum eorum argumentum plane convenit cum doctrina Calvinistica. Uterque particularismum professus est. URSINUS reprobationem saepius diserte affirmat [4]). Ex eo, quod in nonnullis eorum scriptis aliqua ad illud placitum pertinentia silentio fere praetermittuntur, nequaquam concludi potest, ad fundamentale quoddam discrimen, quod inter ecclesias Reformatas universas, et Germanam Reformatam exstitisset. Hoc potius ex practica illorum operum indole explicandum est. Sic neque in Catechesi *Genevensi* locus de praedestinatione fuse tra-

---

1) Cf. HEPPE, l. l. p. 139 sqq.

2) Cf. hac de re *Leben und ausgewählte Schriften der Väter und Begründer der reformirten Kirche*, T. VIII, p. 61 sqq., p. 88 sqq. et passim.

3) l. l. p. 240 sqq.

4) Cf. URSINI Epist. *de Praedestinatione*, operi laudato germana lingua versa inserta, p. 614 sqq..... „Praedestination ist der ewige Rathschluss Gottes wegen des Anfanges und der Vollendung des Heiles der *Erwählten*, so wie auch wegen der Verlassung und Verstossung der Verworfenen zur Strafe, und umfasst desshalb die Erwählung und Verwerfung (electionem et reprobationem) als seine Theile." Cf. etiam p. 121 sqq.

ctatur. Ex eadem causa res illa explicari debet in Catechesi *Heidelbergensi*, ab URSINO et OLEVIANO pro maxima parte confecta, quum tamen constet, rerum expositionem in illo libro cum laudato dogmate arcte cohaerere, et ubique eum Reformatum characterem redolere [1]). Ipsi denique Reformatores illi *Heidelbergenses* intimo corde sibi persuasum habuerunt, in omnibus se cum aliis theologis Reformatis convenire [2]).

Idem dici potest de EGLINO, ZANCHIO, MARTINIO aliisque Foederalistis, qui dogma de praedestinatione diserte docuerunt. Ex eo, quod OLEVIANUS constanter loquitur de salute a Deo nobis data *per* et *propter* CHRISTUM" [3]), ita ut vere *causa meritoria* CHRISTUS dicendus sit, nondum magnum discrimen eum inter et CALVINUM oritur. Quamvis enim hic de CHRISTO Mediatore disserens, illud *propter* rarius adhibet [4]), tamen re ipsa plane cum illo facere dici potest. Sic in *Institutione* [5]) ex industria ostendit, *recte et proprie dici Christum nobis promeritum esse gratiam Dei et salutem*, contra eos, qui „etsi fatentur, salutem nos per CHRISTUM consequi, *nomen tamen meriti audire non sustinent*, ... atque ita CHRISTUM volunt *instrumentum esse duntaxat* vel ministrum, non auctorem vitae vel ducem et principem." Addit quidem, se in merito illo non *principium* statuere, sed ad *ordinationem Dei* con-

---

1) *Leben u. ausg. Schr.* l. l. p. 120 sqq. SCHOLTEN, *De leer der Hervormde Kerk* etc. T. I., p. 60 sqq.

2) *Leben u. ausg. Schr.* l. l. p. 321 sqq.

3) Cf. HEPPE, l. l. T. I., p. 157.

4) Cf. *Inst. rel. Chr.* Lib. II, c. 17, § 5.

5) l. l. c. 17, § 1 sqq.

scendere nos debere, ut *primam causam*, quia nempe „Deus mero beneplacito Mediatorem statuit, qui nobis salutem acquireret"; sed idem fere monet OLEVIANUS dicens, *per* CHRISTUM Deum nobis se reconciliasse; quod addit *propter* magis spectat ad conditionem decreti Dei salutaris quoad Dei essentiam, quum id ad Trinitatem referatur. *Quoad nos* utriusque viri sententia ad idem redit, ne dicam, OLEVIANUM quoque saepius CHRISTUM proponere tanquam illum, qui a Deo ordinatus est ad perficienda quae nostrae saluti erant necessaria [1]).

Ceteroquin tota expositio foederis apud laudatos viros tam arcte cohaeret cum principiis ecclesiae Reformatae characteristicis, ut sine illis ne cogitari quidem illa possit, quod cuique opera eorum percurrenti patebit.

Theologos autem illos methodo laudata usos esse, nihil probat nisi quod Scholasticismus nondum eo tempore in ecclesias Reformatas irrepserat, quo postea factum est, ut organica in Dogmatica tractanda methodus, cujus rei CALVINUS jam insigne dederat exemplum, plane locum cederet singulis disputationibus et locis controversiarum ex polemico vulgo momento ortis.

Diutius, quam par est, nos detineret, si fuse quae diximus ostenderemus. Nonnulla modo indicia dare necesse habuimus, quibus patere possit, notionem foederis, quale sibi Reformati theologi informarunt, ne rigidissimum quidem Calvinismum excludere, et nequaquam ex eo, quod saepius theologi Germani notionem illam in Dogmatica tractanda proponunt, ad

---

1) l. l. p. 23, 27, 28, 30 alibi.

qualecunque discrimen inter Germanam ecclesiam Reformatam et alias ecclesias Reformatas concludi posse, quarum hae magis *Calvinisticae*, illa vero *Melanthoniana* dicenda esset.

Nunc videamus de ipsa COCCEJI Theologia foederali.

§ 2.

De COCCEJI *systemate foederali, quale hoc exposuit in* Summa doctrinae de foedere et testamento Dei. *De foedere operum.*

Enucleatio notionis foederis hunc fere cursum apud COCCEJUM habet [1]). Foedus (διαθήκη, בְּרִית) universe

---

1) COCCEJUS statim incipit ab ipsius foederis expositione. Quae vero in opere laudato desiderantur, inveniuntur in ejus *Summa Theologiae* etc. In ea tota Christiana dogmatica 36 locis, qui 97 capitibus tractantur, exponitur. Formulas scholasticas frustra in illo quaeres. Auctoris erga s. scripturam reverentia ubique patet. Sic locos de scriptura deque fundamento, quod in ea continetur, praemisit loco. „(Cap. 8) *de cognitione de Deo naturali*". Quamvis enim persuasum sibi habet ex natura Deum probari posse, tamen inutile esse censet „Deum demonstrari ei, qui non amabilitatem ejus in fundamento degustaverit, atque ea ipsa fuerit commotus ad quaerendum Deum. Nam, qui eam non gustaverit, ei amara et acerba accidet ea demonstratio, et cum illius tergiversationibus nimiopere erit luctandum. Qui autem bonitatem Dei degustaverit, is considerabit, ut libentius, ita diligentius et sincerius, quae in natura reperiuntur argumenta Deitatis (§ 12) etc." Deinde agit auctor de Deo, ejus attributis, et de Trinitate. Praescientia derivatur ex *libero ejus decreto. „Quae Deus vult esse, de iis habet praescientiam;" scientia propter decretum est necessaria* (c. 10, § 26). Etiam peccata praevidit. *Nam habet ab aeterno decretum de eo, quod interveniente peccato facturus est* (§ 30). Hic ab auctore ne nimis sapere velimus, monemur. *Scientia* deinde *media* rejicitur, utpote magis „*abnegatio scientiae, quam ejus*

est conventio inter duas partes. Nec tamen Dei foedus eodem modo cogitari debet, ac foedus, quod inter se homines ineunt. „Homines enim de *mutuis*, Deus de *suis* beneficiis foedus facit." „Est enim", inquit, „Dei foedus nihil aliud quam divina declaratio de ratione percipiendi amoris Dei, et unione ac communione ipsius potiendi" (§ 5), qua ratione si homo utatur, „amicitia Dei" et „commercio familiari" fruitur. Itaque Dei foedus cum homine est *μονόπλευρον*, nam „Dei *solius* est consilium et dispositio de ratione amoris sui percipiendi"; Deus igitur beneficia dat, homo tantum accipit [1]). Foederis demum

---

demonstratio" (§ 33). *Quae enim videt futura esse, videt in decreto* (§ 35, 36). Hisce expositis, auctor agit (Cap. 14) „*de consilio Dei in genere, prout est origo rerum omnium, et omnibus rebus per id praestitutus est finis.*" Hac in re cavendum esse vult, ne regulae humanae prudentiae sine grano salis divino decreto applicemus. Sic minus recte de Deo dici censet quam de hominibus „*quod ultimum est in exsecutione, id primum esse in intentione.*" (§ 17.) Porro Deo indigna esse decreta conditionata exponit (§ 34 sqq.)... Postquam deinde de creatione, ut prima divini decreti exsecutione, egit, porro de homine, de lapsu, etc.; (cap. 28) tractatur *de Dei providentia circa mala*. Hominis libertas vindicatur; dicitur illa quasi *secunda causa*, a *prima causa* dependens. Concursus divinus hic accipiendus; ita ut nunquam homo a Deo independenter agat. Rationem, qua haec inter se cohaerent, solus Deus novit (§ 19 sqq.). Peccati effecta in homine diversa deinceps exponuntur, quibus expositis demum agit de *consilio Dei gratiae et irae exercendae* (Cap. 33); idque propterea, quia eundem ordinem *scriptura* sequitur, secundum quam „homo lapsus is est, in quo demum exsecutio hujus decreti fieri et poterat et debebat." (§ 2. cap. 14, § 1). Cetera, quae in hoc libro tractantur, eadem sunt atque in ejus *Summa doctrinae de foedere*.

1) „Deo stipulanti assentimur, et annuimus et subscribimus, ut viam, quam ipse nobis ostendit ad ipsius communionem, quod summum bonum est, eligamus." § 7.

conditione διπλευρον etiam sive *mutuum* dici illud potest [1]).

Revera autem esse foedus Dei cum homine, arguit *tum* conscientia, Deum decentia testans, *tum* voluntas hominis expetens bonum verum, in quo acquiescere possit, quod non est nisi *Deus*. Qui appetitus in ipso non est nisi ab ipso Creatore, „per instinctum naturae hominem ad ipsius fruitionem trahente"; *tum* etiam beneficia quotidiana et perpetua, quibus homo excitatur „ad quaerendum Creatorem et Benefactorem suum; eumque amandum, glorificandum, et gratias ei agendum; adeo ut videantur illa proclamare *Quaerite Deum* (Act. 17 : 27; 14 : 17; Rom. 1 : 21), cujus tamen integritas non permitteret, ut cuiquam diceret: *Frustra quaerite me* (Esai. 45 : 10. 19)". (§ 8).

Foedus autem illud Dei, quo totum hominem sibi obligat, duplex est: *Operum* et *Gratiae*. Utriusque *fides* est instrumentum, quo homo frui potest beneficiis a Deo oblatis; ita tamen, ut hujus fidei argumentum variet pro diversa hominis ratione in utroque foedere erga Deum. In foedere enim *operum* argumentum fidei est: „*Qui fecerit illa vivet*", contra in foedere *gratiae* fides conjunctam sibi habet notionem gratiae, omne opus excludentis.

Primum videamus, quid COCCEJUS moneat de *foedere operum*. Foedus operum est prima hominis erga Deum conditio. In eo homo Dei amicitiam et jus-

---

1) „Fit foedus Dei διπλευρον sive mutuum, quando homo Deo juxta foederis legem adhaerescens, ipsum astipulatione, vi divinae dispositionis, veluti obligat ad praestandum amorem et beneficia." l. l.

titiam accipit ex operibus, i. e. perfecta praestanda obedientia Dei praeceptis s. *legi foederis*, cum lege a Deo in conscientia inscripta, ideoque cum *lege naturae* convenienti, qua nitens *foedus operum*, idem vocari potest *foedus naturae*. Praecepta autem hujus legis quoad *substantiam* plane cum lege scripta s. Decalogo conveniunt. Utriusque enim legis summa referri potest ad illud: „Deum ama supra omnia et proximum tuum sicuti te ipsum". Huic legi accessit peculiare quoddam praeceptum de fructu arboris, ut „signum dominii Dei et subjectionis hominis, et materies explorationis."

Juxta legem, datae etiam erant *promissio* et *comminatio*: illa de *vita aeterna* et *Dei fruitione*; haec de *morte*. Illa profluit ex eo, qnod Deus est „remunerator quaerentium eum"; haec ex Dei justitia, quippe qui „sine abnegatione sanctitatis suae non posset homini peccatori, i. e. homini ab Ipso deficienti, obedientiamque Ei abneganti, unionem et communionem sui largiri". Ut autem homo par esset conditioni, sub qua ei Deus amicitiam offerebat, implendae, „fuerunt ei vires ad obediendum et jus vitae juxta pactum promerendum" [1]). Ne tamen quis putet „vires omnino idoneas *actu*" eum habuisse. „Sufficiebat enim, ut eas a Deo posset impetrare, et ad eas petendum satis esset instructus" [2]). Rem autem ita cum ho-

---

1) l. l. § 48..... „Nam si sub conditione plane impossibili ipsi amicitiam obtulisset, ex ipsa conditionis impossibilitate ipsum ab amicitia rejecisset."

2) l. l. § 49..... „Perinde enim est de viribus dandis sive augendis, ac de continuandis et conservandis. A Deo enim in omni statu homo

mine se habuisse, arguit „imago Dei et similitudo in ipso, h. e. non tantum in anima incorruptibili mens et ratio, sed etiam sapientia in intellectu (licet non perfecta, tamen magna et par ducendo homini ad bonum et avertendo a malo), et rectitudo atque integritas motuum animi et affectuum" [1]).

Nec tamen — ita pergit COCCEJUS — rectitudo Protoplastarum illa fuit, „ut non possent omisso illo uno quod necessarium et in quo verum hominis bonum situm est, permittere sibi de praecepto Dei disputare et colores quaerere peccato". Habuerunt enim „*rectitudinem cum mutabilitate*, ut permittente Deo subnasci posset in ipsis *gratia Dei confirmante* per propriam culpam destitutis, radix injustitiae et cor nequam infidelitatis ad deficiendum a Deo vivo" (§ 52), quam tamen mutabilitatem *imbecillitatem* potius *voluntatis liberae*, in libertate serviendi Deo nondum confirmatae, quam *liberum arbitrium* s. *libertatem* noster dici voluit. Ratio autem qua fieri potuit, ut homo laberetur, sic deinde a COCCEJO exponitur: „Dei ADAMO foedus offerentis constantiae congruum quidem fuit vires in creatione datas conservare et petenti augere; non autem praemunire ipsum, aut efficere, ne in tentatione laberetur, sive dare ipsi velle, quod dederat posse, sive non permittere labi. Sic enim rationem et conditionem foederis immutasset." Quid

---

habet necesse petere ut conservationem, ita augmentum virium, imo et earum datarum exercitium. Praeceptum arguit quidem in homine integro rei praeceptae possibilitatem, non vero virium potentiam ad praestandum ex semet ipso."

1) l. l. § 50. Cf. § 51, 22.

igitur? „Deus ipsis dederat, ut intelligerent in Deo sibi vitam paratam esse, si ipsi credentes a vetito fructo abstinerent? ... Supererat, ut, contenti Deo auctore, non cogitarent, an non bonum aliquod excellens neglecto mandato Dei per se ipsos consequi possent. Hanc cogitationem tentator subjecit, mutabilis voluntas suscepit, Deus non arcuit." Itaque Dei legem transgressi Protoplastae cum toto genere humano, cujus illi stirps erant, obnoxii facti sunt foederis comminationi et obedientiae Dei ut domini.

Ex praecedentibus patet, COCCEJUM facultatem eligendi bonum et malum homini in primaeva conditione vindicasse. Nimis tamen quis probaret, si inde concluderet, COCCEJUM proprie CALVINI systemati se opposuisse. Praecipuum discrimen inter utrumque est, quod hic Supra-lapsarismo, ille vero cum multis aliis Infra-lapsarismo fuit addictus. Quid? quod etiam CALVINUS in hac integritate „libero arbitrio hominem polluisse," dicit [1]), „quo si vellet adipisci posset aeternam vitam." Et porro „potuit igitur ADAM stare, si vellet, quando nonnisi propria voluntate cecidit." Cur autem tam facile lapsus fuerit, inde explicandum esse censet „quia in utramque partem flexibilis ejus erat voluntas, nec data erat ad perseverandum constantia [2])." Rationem „cur Deus perseverantiae virtute eum non sustinuerit," deinde quidem monet „in Dei consilio latere," et nostri esse, *ad sobrietatem sapere.* Sed neque COCCEJUS decretum illud

---

1) CALVINUS l. l. Lib. I, c. 15, § 8.

2) l. l. .... „Acceperat quidem posse si vellet, sed non habuit velle quo posset, quia hoc velle sequuta esset perseverantia."

magnopere non habuit. Nullam explicationem de hominis libero arbitrio admittit, nisi salvo illo decreto. Sententiam eorum, qui dicunt, „Dei consursum indifferentem esse et in potestate hominis," tanquam *blasphemiam* rejicit. Neque majoris pretii habet Jesuitarum et Remonstrantium sententiam de *scientia media*. Saepius inculcat, ne nobis Deum in lapsu ADAMI informemus *otiosum spectatorem* [1]), sed *sancte ad peccati actum concurrentem* [2]). Necessario tenendum esse dicit, „ut, quicquid causa secunda agit, Deus *velit eam agere;* atque adeo singulas actiones objici *voluntati divinae determinanti*. Alioqui enim homo ageret independenter [3])." — „Deum" — ita pergit — „potuisse efficere, ut homo tentationem vinceret..... Non autem fuisse decretum Dei, quo Deus decrevit, hominem illo modo confirmare. Nam si hoc fuisset, utique propter hoc ipsum homo non fuisset lapsus, quod vulgo ita enuntiari solet, Deum non dedisse homini auxilium, per quod in illa tentatione subsisteret. *Non dedisse ipsi velle, quod poterat* [4])."

Utrumque igitur *tum* hominis culpam ex libertate ejus profluentem, *tum* Dei decretum, omnia libere exsequens noster sustinere, et quantum potuit, inter se reconciliare studuit. Num autem haec res bene

---

1) Cf. cocc. ad *Genes.* c. 2, § 29, 32.

2) *Summa doctrinae* etc. § 62.

3) ad *Gen.* c. 2, § 31.

4) Cf. etiam cocc. comm. in *Catech. Heidelb.* § 25: „Mutabilis fuit homo primus, h. e. non confirmatus in rectitudine, quia Deus non dedit ipsi perpetuo et in omni tentatione respicere ad Creatorem suum, et ab ipso consilium exspectare."

ei evenerit, jure dubitari potest. Nec mirum! nam quidquid hac de re quis statuere vellet, semper altera sententia accepta, alterius veritatem, si logice ratiocinaretur, excludere deberet. Quod ipsum virum bene sensisse, patet ex iis, quae hac de re saepius monet. Ipse fatetur, hac in re difficultatibus omnibus se satisfacere non posse. Propterea ante omnia „frenandas esse nostras cogitationes et linguam ut cogitemus ... nos non posse intelligere, quomodo creati simus, multo minus posse scire, quomodo facti ad imaginem Dei mutari potuerimus, ut tamen nec independenter egerit homo, nec Deus peccati auctor sit habendus; ergo dicenda esse nobis ea, quae in scripturis habent auctoritatem, quaeque *conscientia nostra dictat esse vera*, caetera silenda cum humili confessione nostrae ignorantiae et incapacitatis" [1]). Sed in foederis expositione progrediamur.

Foedus illud operum nullus praeter CLOPPENBURCHIUM ante COCCEJUM tam copiose explicuit. Totum ejus systema hoc foedere tanquam fundamento

---

1) Ad *Genes.* l. l. *Summa doctrinae* etc. § 62: „Peccavit ADAM voluntarie (h. e. volens illum actum, quo Deus ipsi interdixerat) permittente Deo, h. e. non dante gratiam, per quam certo vellet, quod poterat, obedire; et sancte ad peccati actum concurrente, non vero habitum male infundente vel peccatum in homine operante. Bona enim operatur in nobis Deus, non mala. Hic subsistimus, credentes divinis oraculis, ne, si in arcanis Dei liberae voluntatis sanctam motionem et gubernationem, quae Deus non revelavit, quaeque captum nostrum superant, ruspemur, opprimamur a gloria et in tenebras a luce inaccessa repellamur. Quod solet iis evenire, qui volunt supra, quam revelatum est, intelligere, quae, in quantum revelatum, credenda, et in quantum nostro singulorum vel universorum hominum ingenio imperscrutabilia sunt, cum Dei glorificatione admiranda et religiose ignoranda sunt."

nititur, et ei annectitur. Quam rationem cur secutus sit COCCEJUS, satis intelligimus, si attendimus ad magnum pretium, quod ei tribuit. In ejus oblatione videt bonitatem, sanctitatem, potestatem, libertatem et praecellentiam Dei creaturae imaginem suam largientis, et unionis sui conditionem ab ea exigentis. Habet vim aeternam, neque igitur ab homine solvi potuit; propterea, beneficiis foederis peccato amissis, obnoxius comminationi pro lege foederis mansit. Deus autem misericors viam aperuit, qua in ejus communionem homo redire potuit. Communio illa plane demum restituitur foederis rupti effectis omnibus sublatis. Hinc explicandum, quod omnia, quae deinde secuta sunt acta, quibus communio cum Deo restituitur, huic ipsi foederi singulari modo sub nomine *foederis operum abrogationes* s. *antiquationes* s. *abolitiones* annectuntur. Sic COCCEJUS in systemate unitatem conservare studuit, arcte simul sacrae scripturae terminis adhaerescens [1]). Videamus nunc, quali modo res apud COCCEJUM procedat.

§ 3.

De Foederis operum *abrogationibus.*

Abrogatio foederis illius quintuplex dicenda est: 1° quoad possibilitatem vivificandi, per peccatum. 2° quoad damnationem, per CHRISTUM in promissione et fide apprehensum. 3° quoad terrorem, sive effici-

1) Cf. l. l. § 58 ubi formulam quae (Hebr. 8:13), de veteri foedere usurpatur, per analogiam ad foedus operum applicat. Ceterum etiam CLOPPENBURCH formulis illis l. l. utitur. cf. p. 115.

entiam metus mortis et servitutis, per promulgationem foederis novi, facta peccati expiatione ..... 4° quoad luctum cum peccato, per mortem corporis. 5° quoad effecta omnia, per resurrectionem ex mortuis (§ 58). De prima jam vidimus. Hic de ceteris agere restat.

Deus quum foedus dedisset, hominis non fuit tollere. Igitur „a bonis foederis exclusus homo manet obligatus ad *omnia facienda*, quae *tum* lex naturae, *tum* Deus *jure dominii sui* ab eo exigit, ad *poenam* igitur propter *peccatum*, et *obedientiam* propter *subjectionem*", [1]) *tum* denique „ad *fidem in Deum Servatorem, si Deus ἱλαστήριον sufficiens proponat*, et *omni amplexanti justitiae donum promittat*" [2]).

Hoc revera Deus fecit pro ejus sufficientia et summa ejus atque ineffabili erga homines misericordia, foedere operum a sua quoque parte sublato *quoad damnationem*, ejus loco *foedere gratiae* substituto, ut peccatori occasionem daret recuperandi justitiam et vitae aeternae haereditatem, non ut antea ex operibus, sed *per donationem* sive *gratuito*. Hac autem in re Deus usus est Mediatore, qui nec de numero redimendorum, aut eidem reatui subjectus, nec exsors naturae redimendorum, nec ψιλὸς ἄνθρωπος, sed θεάνθρωπος, aliis perfectam obedientiam praestare potuit, justitiam veram afferre, et pro servandis intercedere, eosque, qui per ipsum accederent ad Deum, intercessione sua servare.

Per ea, quae CHRISTUS ut Mediator Patri praestitit, ipse haeres factus est omnium bonorum regni Dei;

---

1) l. l. § 59 sqq. § 71.

2) § 72. .... Quod debitum ex ipsa lege naturae fluit.

quorum vero participes reddit eos, qui ei a Patre dati sunt, et pro quibus salutem meritus est. Hinc foedus gratiae formam induit *Testamenti*, quod morte Testatoris ratificatum est, et ab ipso Deo, *prima causa* haereditatis comprobatur [1]). Quod ut rite intelligatur, tenendum esse monet COCCEJUS in hoc testamento divino inesse *pactum*, quo nititur ejus firmitas; pactum scil. non cum homine lapso, sed cum *Mediatore* (§ 88). Secundum hoc pactum „Pater secundum ineffabilem oeconomiam negotii salutis nostrae stipulat obedientiam Filii usque ad mortem et pro ea ipsi regnum et semen spirituale repromittit; Filius se sistit ad faciendam voluntatem Dei et a Patre salutem populi sibi e mundo dati altrinsecus petit". Tota deinde oeconomia salutis ad Trinitatem refertur. In ea Pater sustinet personam *tum* legislatoris, justitiae demonstrationem exigentis, *tum* sapientissimi rectoris ad exercendam in creatura misericordiam. Filius misericordiam Dei exhibet, Spiritus sanctus potentiam Deitatis exercet in regenerandis nobis et charitatem in uniendis nobis Deo et ad haereditatem obsignandis (§ 89) [2]).

---

1) l. l. c. 4, § 86. Plane igitur nititur hoc foedus διαθήκη, testamento. Quod est libera dispositio Dei salvatoris de bonis suis ab haerede suo secundum voluntariam generationem et nominationem citra alienationis periculum possidendis. Rom. 4:14. — § 87. Quocirca et apostolus sanctionem hujus foederis talem concludit esse, qualis est testamenti, sc. per mortem testatoris. Gal. 3:15; Hebr. 9:16, 17. Igitur sanguis testamenti (Hebr. 10:29) est sanguis testatoris ad confirmationem testamenti, et non ut inter homines ad possessionem haereditatis haeredi vacuam faciendam, sed ad jus haereditatem adeundi haeredi a Deo designato procurandum morientis.

2) Minus recte GASS, l. l. T. II, p. 270: „Diese Anwendung des Bundesbegriffs auf die Personen der Trinität, unter welche die Aüsführung

Quae ad praecedentia explicanda fusius COCCEJUS monet de CHRISTI Mediatoris muneribus et statibus non est quod de iis fuse loquamur. Ex iis non minus quam ex superioribus luculenter patet, quantopere ejus notiones juridicas de foedere divino ubique fere applicare studuerit. Filii merae voluntatis fuit sponsionem suscipere necne. Semel vero sponsor factus minus recte „obedientiam ejus prorsus *liberam* dici censet, ita ut non peccaturus neque poenas meiturus fuisset, si provinciam Redemptoris non susciperet: propterea mavult dicere CHRISTUM *liberrime obedivisse* [1]). Quaestioni, an omnibus spoponderit et spondere debuerit Mediator pro tota foederis expositione, negative respondet [2]).

Quomodo autem foedus gratiae singulis generatim applicatur? Hoc fit *tum* per mandatum, quo jubentur omnes omnino homines credere in CHRISTUM, *tum* per verbum promissionis conditionatum: „*si credis, salvaberis*," *tum* per operationes Spiritus sancti, dantis fidem electis Dei, eosque regenerantis [3]) et sic ad foedus adducentis. Posterius illud arcte cohaeret cum foederis gratiae *constantia* sive immutabilitate. Spectat

---

des Heilsrathschlusses sich vertheilen soll, ist mit Recht als die eigentlich neue Zuthat des COCCEJUS bezeichnet worden. Sie findet sich vor ihm nirgends, während die übrigen Gesichtspunkte wenigstens der Anlage nach schon früher nachgewiesen werden können." Similia enim jam invenimus apud OLEVIANUM, l. l. p. 4, 15, 17, 23, 30, 167, 208.

1) l. l. c. 5, § 91—99.

2) l. l. c. 5, § 108, 109.

3) l. l. c. 6. *De applicatione testamenti itemque sanctione et confirmatione foederis gratiae;* c. 7. *De viribus assumendi in Foedus gratiae et ejus adductione.*

illa *tum* ad certum proventum seminis dati CHRISTO, quia immutabiliter a Deo decretum est, ut ii, quos dedit CHRISTO, accedant ad ipsum, *tum* etiam ad perseverantiam eorum, qui semel cum CHRISTO sunt uniti [1]). Totum denique foedus gratiae spectat ad Dei gloriam ejusque divinam opulentiam, profundam sapientiam et imperscrutabilitatem judiciorum admiranda. (Rom. 11 : 33—36) [2]). *Tertia* foederis operum *abrogatio* facta est *per promulgationem Testamenti et foederis novi, quoad terrorem sive efficientiam metus mortis et servitutis.* Sed videamus quomodo illa cohaereat cum iis, quae jam auctorem monere audivimus de foedere gratiae, ad quod omnia jam retulit, quae Novo demum foedere exponuntur, et quo plane fieri non posse videtur, ut novum quid hoc foedere promulgato affe-ratur? Quod ut bene intelligamus, paucis nobis enucleanda sunt quae hic COCCEJUS in medium profert de diversis foederis gratiae oeconomiis, et utriusque foederis V. et N. unitate et differentia. Duplicem nempe in foedere gratiae discernit oeconomiam, alteram *exspectationis* CHRISTI, alteram CHRISTI *revelati.* Firmiter tamen tenendum esse monet „in utroque tempore CHRISTUM fuisse et esse objectum fidei salutis [3])." Quid? quod ipse Deus „statim post lapsum promisit gratiam CHRISTI ad justitiam" (Gen. 3 : 15) [4]), quam promis-

---

1) l. l. c. 8. *De constantia foederis gratiae.*

2) l. l. c. 9. *De fine οὗ foederis gratiae.*

3) l. l. c. 10. § 278 : „JESUS CHRISTUS heri et hodie idem est et in saecula (Hebr. 13 : 8), h. e. CHRISTUM fuisse et esse objectum fidei ad salutem in utroque tempore s. Vetere et N. Testamento."

4) l. l. § 289—304.

sionem deinde clarius et enucleatius propositam, non inanem fuisse, testantur ABELUS, HENOCHUS, NOACHUS, ABRAHAMUS, alii, qui fide salutem Dei exspectarunt, per fidem a Deo justificati sunt, et ratione tantum habita promissi seminis cum Deo communionem habuerunt [1]); nec non sacrificia ab iis et posteris Deo oblata, quaeque signa atque pignora et imagines habenda sunt a Deo instituta perfectae redemptionis postea CHRISTO afferendae; quae offerentes Veteres fidem testati sunt, quam habuerunt promissioni Dei de semine serpentis caput conterente, et sibi ad credendum proposito [2]).

Legem Mosaicam nullo modo cum foedere gratiae pugnare, fuse noster ostendere conatur. Quamvis enim lex illa eadem praecepta continet, ac lex naturae s. foederum, nequaquam tamen ad foedus operum pertinere censenda est, ita ut ex ulla parte ejus vita esset exspectanda (§ 232). Profecto in Decalogo continentur praecepta, *quae qui facit, vivit in iis*, „sed eadem praecepta possunt duplici modo proponi: 1° ut

---

1) l. l. § 279 sqq.

2) l. l. § 305 sqq. § 278—287. „Idem in promissione sive visione ipsis propositum est ad credendum, quod nobis in *εὐαγγελίῳ* sive *κηρύγματι* praeconio. Habac. 2:3. Unde liquet, Veteres sperasse, eadem gratia CHRISTI salutem se adepturos ut et nos, Act. 15:11. Neque aliud est, quod *Patres non potuerint portare jugum* (vs. 10), quam quod consolationem exiguam ex portatione jugi consecuti sint et ad manifestationem gratiae CHRISTI anhelaverint, quod expresse docetur Act. 26:7, 23, 26, 27; 1 Petr. 1:11. Hinc dies visitationis *ἐπισκέψεως* (Luc. 1:68; Ps. 8:5) dies speculatorum vocatur, Mich. 7:4; Jes. 52:8. Inter quos speculatores erat SIMEON, exspectans consolationem Israëlis." Luc. 2:25. Cf. etiam § 287—324.

regulae sanctitatis, in qua versatur et proficit resipiscens et fidelis; 2° ut praescriptiones operis debiti, cujus vel patratio justificat, sive mercedis ex debito imputandae compotem facit, vel omissio damnat." Quod quum ita sit, considerandum est, „quomodo praecepta haec in Decalogo sint Israëli primitus proposita." Sic patebit, Decalogum non ad foedus *operum*, sed *gratiae* potius pertinere. In omnibus enim MOSES pro fundamento ponit, Jehovam esse Deum Israëlis, qui eum sanctificat ex peculiari sua erga populum gratia [1]). Omnia igitur praecepta non „ex foedere operum" intelligenda sunt, sed tanquam praecepta *μετανοίας*, per quae Deus sanctificat, emendat, corrigit, sanat eos, quorum ipse post peccatum sanctificator et justitia et Deus est, ita ut quasi dicat: Nolite deinceps indurare cor vestrum, aut cervicem vestram, sed circumcidite cor vestrum, ut ametis et timeatis me, qui sum Deus et sanctificator Israëlis, et ex illo amore mei cavete, ne alium Deum habeatis in conspectu meo, ne faciatis imaginem et procumbatis coram ea, ne nomen meum in vanum feratis, etc. Sic praecepta illa conveniunt cum Apostolorum in N. F. admonitionibus ad vitam Deo acceptam agendam, quas tamen illi nullo modo vitae causam et fundamentum habuerunt [2]).

---

1) l. l. § 332, § 338. „Septimo notandum, quod ipse decalogus, licet totam summam obedientiae et internae et externae, quam naturalis lex flagitat, continens, accommodatus sit Israëlitarum foederi. Minus igitur in eo praesupponitur naturale debitum, quam gratia divina, secundum quam Deus Israëlis vocari voluit, quam voluntatem eductione istius populi ex servitute Aegyptiaca testatus est."

2) l. l. c. 11. p. 62. „Recte de illis omnibus hortationibus, quibus

Neque obstat maledictio ista severissima (Deut. 27:26): „Maledictus qui non impleverit verba legis hujus, ut ea faciat", quominus ad foedus gratiae Decalogus referatur. *Primum* enim in ipso Decalogo non inveniuntur; et porro licet „nihil nisi terrorem et desperationem incutere apta est ei, qui gratia Dei destitutus est, praesupposita tamen promissione et ejus fide, ad eam exsecrationem respondere *Amen* (et totus populus hoc facere debebat) est approbare et laudare justum Dei judicium, cui propter peccatum succumbimus, et quod CHRISTUS vice nostra subiit". Propterea neque ea maledictione, neque sententia „quae qui fecerit homo, vivit in iis", vocati sunt Israëlitae ad justitiam legis affectandam, sed ad confitendam condemnationem, ut, peccatis agnitis, fide et poenitentia ab illa quaerenda deterrerentur, et gratiam amplecterentur. Mixtura ex illa sane orta est verbi gratiae et condemnationis, qua multi „socordes et praeoccupati sensibus" ducti sunt, ut „propriam justitiam" conderent, sed tamen prudentes benedictionem gratiae arripere potuerunt, figuris etiam et typis hac in re cooperantibus [1]).

Ex superioribus videmus, COCCEJUM ad unitatem systematis conservandam omnes vires intendere, ut ostendat, Decalogum realiter diversum esse a „foedere operum", et re ipsa foederi gratiae consentaneum. Verum et falsum in ejus demonstratione ingeniose

---

Apostoli fidelium vitam instruxerunt, dici potest, quod hae sunt illa *praecepta, quae qui facit, vivit in eis*, et tamen hi noluerunt, ut sic ea praecepta studeremus facere, ut putaremus, nos in iis vivere posse."

1) l. l. § 388, p. 61, 66, 67.

saepius inter se mixtum esse, manifestum est. Historicam rerum conditionem nimis neglexisse mihi videtur, ut suam ipsius res contemplandi idealem rationem tueretur. Postea paulo fusius hac de re nobis dicendum erit. Nunc in ejus systemate exponendo progredimur [1]).

Num igitur plane utriusque oeconomiae discrimen ab auctore tollitur? Minime gentium! Sub priore enim dispensatione non acceperunt promissionem (Hebr. 11: 39, 40), per totam vitam in exspectatione τῆς ἀπολυτρώσεως manserunt. Filium Dei datum non viderunt, verbum Evangelii de expiatis peccatis et de reconciliatione facta non audiverunt. Praeterea exspectationis tempus comitatae fuerunt quaedam tenebrae s. minor claritas quoad modulum revelationis, anxietas, desiderium et scrutatio rerum non sibi, sed posteris donandarum (Hebr. 11:39, 40; 1 Petr. 1:10, 11, 12; Matth. 13:16, 17; Act. 26:7). Manebat enim transgressio, donec CHRISTUS eam tolleret, iramque intentabat (Rom. 4:15, 25; Gal. 3:19; Rom. 3:25; Hebr.

---

1) Ceterum COCCEJUS legi secundum ejus partes haec officia praestanda tribuit. 1° „*Lex morum*, quatenus internam et externam requirit ab homine obedientiam, ostendit, quid homo creatus ad imaginem Dei, quae in rectitudine consistit, deberet Deo, quae sanctitas requireretur ad unionem et communionem cum Deo. — 2° *Lex ceremonialis* partim continebat commemorationem peccatorum (Hebr. 10:3) tanquam chirographum contra ipsos (Col. 2:14), partim umbras futurorum bonorum. — 3° *Lex judicialis* tum certo vitio laborantes et certas gentes vel in perpetuum vel ad aliquas generationes abscindens — poenam affligit abscisis, ad demonstrationem justae severitatis Dei (Exod. 20:5), et incendit in sanctis desiderium receptionis abscissorum ad sortem sanctorum, quippe quum eadem gentes in hereditatem promissae erant." — Sic tota lex „ad CHRISTUM Patribus promissum" ducit. l. l. § 335.

9 : 15), unde id tempus *partim* ira et severitas vocatur (Dan. 9 : 24); idque propter terrorem, quo pii in hac vita exagitabantur; *partim ἀνοχὴ τοῦ θεοῦ*, tolerantia Dei, propter dilatationem judicii, tum quo Deus condemnaturus erat peccatum in CHRISTO, tum quo vindicaturus erat omnem impietatem hominum detinentium veritatem in injustitia. Porro tum in judiciis, tum in modo docendi praevalebat Dei sanctitas, ut ita gratiae necessitas luculenter demonstraretur.

Quod magis adhuc factum est, quum post promissionem lex intervenisset, cum qua Vetus Testamentum initium cepisse ducendum est. Quamvis enim nullatenus foedus gratiae per eam vanum redditur, tamen factum est, ut ea promulgata omnia magis *speciem* foederis operum acciperent; ut, quae ad solum foedus gratiae pertinerent, velo exsecrationis quasi occultarentur, et difficilior fieret quaestio legis justitiae. Peccata quum nondum expiata essent, exsecratio illa vim quandam habuit, ut Israëlitae cogerentur scribere contra se chirographum, quo se debitores et peccatum suum expiationem adhuc petere testarentur (Col. 2 : 14; Hebr. 10 : 1 sqq). Huc accedit, quod Israëlitis sub V. T. designata erat tantum possessio terrae Canaän, pro ratione, qua Deus decreverat testamentum suum de haereditate danda exsequi [1]), tanquam vitae coe-

---

1) COCCEJUS varia admittit Testamenta, de quibus obscurius saepe loquitur. 1. Testamentum Dei s. aeternum ejus consilium de foedere gratiae dando. 2. Huic subordinatum est ipsum foedus gratiae, quod per mortem CHRISTI, ut testatoris, formam testamenti induit. Hisce accedunt duo alia testamenta, ad terrestrem vitam tantum spectantia, et ex eodem

lestis et mundi haereditatis, in CHRISTO exspectandae, figura et symbolum. Gentes porro a salute exclusae erant. Neque praeterea sub Vetere Testamento sancti fruiti sunt Spiritu libertatis, sed potius servitutis, h. e. „Spiritus mensurâ servituti et formidini conveniente, ita ut opus Spiritus sancti in foederatis non esset fiducia in libertate filiorum, sed servitutis famulatio" (Rom. 8:15). Sub Novo vero Foedere res longe aliter se habent. In CHRISTO, Patris imagine, Dei voluntatem perspicimus. Omnia, quae antea exstabant, aenigmata in eo explicata sunt. Umbrae et imagines, in eo ut corpore impletae, abrogatae sunt; et sapientia Dei in peccatoribus servandis omni velo destituta est. Lex Dei cordibus inscripta est (Hebr. 8:10; Jer. 35:33); et non amplius tabulis lapideis (2 Cor. 3:3). Gratia praeterea sub N. T. longe uberior facta est. Fideles accipiunt Spiritum adoptionis ad filios, omnem formidinem excludentem et Dei charitatem in animos effundentem. Omni tristitia remota, laetitia filiorum gaudent. Lex Dei vere lex amoris facta est! Hisce beneficiis accedunt: *absolutio conscientiae* i. e. τελείωσις, consummatio, ἁγιασμὸς, ἄφεσις, remissio, δικαίωσις in emphasi, opposita ut imperfectiori τῇ παρέσει, dissimulationi, quae erat in V. T.,

---

divino consilio profluentia, alterum de haereditate terrae Canaäniticae Israëlitis danda; hujus executio a MOSE incipit et Vetus Testamentum vocatur; alterum Testamentum novum, (cui foedus novum subordinatur), i. e. „ea pars consilii ac propositi Dei, qua ecclesiae in ultimo tempore, ut haeredi benedictionum, perfectiora bona in terra in CHRISTO conferre eamque consummare constituit." Hujus autem executio proprie est Foedus Novum. l. l. § 275. alibi.

et ut contraria τῇ ὀργῇ, quam operatur lex διὰ τὴν παράβασιν ἔτι οὖσαν (Rom. 4 : 15); *libertas*, opposita *servituti*, orienti a timore mortis (Hebr. 2 : 15) sub V. T. inde exstante, quod mors accelerata et afflictiones hujus vitae, sub facie poenae, legem transgredientibus propositae sunt; atque adeo, quod illa contraria erant praemio temporali, quod lex fidelibus foederatis proponebat, scil. vitae longaevae et benedictae in possessione haereditatis Canaān; quae in figuram et pignus coelestis haereditatis data erant. CHRISTO vero dato et perfecta justitia ostenta cessavit timor mortis et formido afflictionum, et servitus δικαιωμάτων σαρκὸς et elementorum mundi et principum hujus saeculi (1 Cor. 2 : 6) s. „tutorum accusatorum, quibus subjectus fuit populus priscus." CHRISTUS enim delevit legem praeceptorum in placitis sanguine suo eamque cruci affixit, contra fecit nos sacerdotes et reges (Apoc. 5 : 10); in ejus nomine cum filiorum fiducia ad Deum accedimus; in eo omnia nobis sunt subjecta. Doctrina veritatis non amplius est alligata certae personae, collegio, sedi aut loco, sed omnes omnino Dei filii a Deo docentur, nulla auctoritate humana interveniente. Quae denique sub Vetere Testamento inter Israëlem et gentes exstabat inimicitia, in pacem translata est in CHRISTO, cujus morte cuncti tam gentes quam Judaei salutis participes redditi sunt [1]).

Sic Novo Testamento denuntiato ad majorem abolitionem accessisse videmus foederis operum effecta. Nec tamen omnia jam deleta sunt. Quamdiu enim

---

1) l. l. c. 12. *De bonis novi testamenti.*

fideles in terra degunt, non ad perfectam sanctitatem pervenire possunt. Hinc in iis exstat lucta Spiritum inter et carnem, quorum ille odit peccata Deique amat praecepta; haec vero ad peccata committenda inclinat. Mortuo demum corpore, vis peccati plane tollitur. *Quarta* igitur *abrogatio Foederis operum* fit *per corporis mortem* [1]). Sed ne morte quidem plane tolli dici possunt Foederis operum effecta. Manet enim separatio animi a corpore. Huic demum finem imponit mortuorum resurrectio, quae propterea *quinta et ultima antiquatio Foederis operum* dicenda est [2]). Nunc omnes fructus peccati sublati sunt in justis, qui CHRISTO conjuncti vita aeterna fruuntur. Omnia, quae ad Eschatologiam pertinent, hoc capite a COCCEJO tractantur.

Sic igitur COCCEJO contigerat, totam materiem s. scripturae sub imagine foederis in unum redactam exponere. Biblicam ejus Theologiam si comparemus cum iis, quae hodie a biblico theologo postulari possunt, profecto magna habet vitia. Promiscue loci ex utroque foedere citantur ad doctrinam Christianam comprobandam: ad characteristicam auctorum singulorum doctrinam non attenditur. Haec et alia hodie in theologo biblico nequaquam probari possent. Attamen quae nunc in theologo requiruntur, in COCCEJI systemate dijudicando, minime norma adhiberi debent: sed in ea re ratio habenda est temporis, quo COCCEJUS vixit.

---

1) l. l. c. 15.

2) l. l. c. 16. *De foederis operum abolitione quinta per resurrectionem corporis.*

Quod si attendimus, multis nominibus opus ejus laudandum esse mihi videtur. Parte priore nostrae disquisitionis vidimus, quomodo vulgo eo tempore Theologia tractaretur. Praevigebat in ea ars polemica. Singulis rebus et vocabulis praeterea subtiliter distinctis et definitis singulisque locis argutius et ad adversarios imprimis profligandos expositis, omnis internus nexus inter diversos res evanuerat. Quae denique egregia in multorum operibus dicebantur, barbara terminologia et notionibus metaphysicis adeo obruebantur, ut vix ea invenire aliquis posset. Cum hisce operibus si COCCEJI *summam doctrinam de foedere* comparemus, major ejus prae illis praestantia statim occurrit. Quaestiones non singulis disputationibus tractantur, sed omnes subordinantur uni rei, quae per totum opus cernitur, et ejus unitatem conservat. Terminos scholasticos, et omnia, quae laudavimus, vitia ubique auctor evitat. Inanes speculationes de quibusdam rebus, quas in VOETIO e. g. observavimus, silentio praetermittit. Polemica ars in rerum expositione nequaquam primum locum occupat, sed modice et ad suam ipsius sententiam melius ostendendam, hic illic applicatur. Magnum in illa re saepius ostendit ingenii acumen, nunquam vero se tradit sophisticis et syllogisticis multorum aequalium argutiis. Quaestiones exegetice solvere conatur, saepiusque hoc agens magnam scripturae interpretandae dexteritatem ostendit. Rariores, quibus hic illic utitur, syllogismi modum non excedunt, neque ullus, ne nostro quidem tempore, quo argumentandi illa ratio rarius, quam COCCEJI tempore adhiberi solet, jure eum vituperare posset.

Praeterea materies dogmatica non abstracte tractatur. Religionem inter et Theologiam arctus est nexus. Quam antea jam in COCCEJO observavimus indolem practicam et religiosam, eandem hoc scriptum dogmaticum ostendit. Magnum etiam huic operi propterea pretium tribuendum esse statuimus, quod denuo auctor ex industria in illo discrimen V. inter et N. T., majoremque novae prae veteri oeconomiae praestantiam ostendit. Sic COCCEJUS viam aperuit organicae s. scripturae et historicae expositioni, cujus rei olim jam CALVINUS exemplum dederat, quae tamen magis magisque negligi ac plane perdi coeperat.

Num autem revera COCCEJUS dici potest biblicam Theologiam dedisse, sicuti sibi proposuerat? vel potius num COCCEJUS talem ex scriptura Theologiam hausit, qualem ratione ipsius temporis et pro methodo, quam fundamentum in Theologia tractanda posuit, ex ea haurire potuit. Huic quaestioni negando respondendum esse putamus. *Primum* modum improbandum esse statuimus, quem elegit ad diversas res dogmaticas inter se connectendas. Perverse egit, *foedus operum* fundamentum totius systematis constituens. Semel enim illo sublato, novaque a Deo via ad salutem assignata, non amplius de gradatis abrogationibus sermo esse potest. Plane novum quod tunc venisse censendum est: et id novum veteri longe praestantius non sub forma abrogationis tradendum est. Nunc quidem patet, COCCEJUM abrogationes illas ad *effecta* foederis operum, magis quam ad ipsum foedus referre, sed eo ipso patet perversa ejus agendi ratio. Nam si

omnia foederis gratiae beneficia *abrogationes* foederis operum habenda sunt, logice inde concludere liceret, hominem, omnibus effectis foederis rupti sublatis, denuo restitutum fore in prima atque integra illius foederis conditione: quod tamen minime sibi voluit COCCEJUS; quippe quia homo post *quintam* abrogationem in conditione versatur, longe praestantiore, quam unquam in foedere operum accepturus fuisset. Neque praeterea *quarta* illa et *quinta* abrogatio duobus praecedentibus bene aptari possunt, quae prorsus nituntur iis, quae Deum objectivo modo ad salutem praestandam fecisse s. scriptura nos docet, sed per se spectata nihil commune habent cum singulis hominibus, qui Spiritu demum operante harum rerum participes redduntur. *Quinta* vero, et imprimis *quarta* abrogatio ex Dei operatione in singulis hominibus sumta est. Duo aliena COCCEJUS inter se confudit. Neque probanda est tota ratio, qua foederis notionem COCCEJUS suscepit. Accurate si COCCEJUS veram biblicam foederis notionem indagasset, arcteque illam in expositione systematis tenuisset, non vituperari potuisset, si tempus ante lapsum foedus vocasset. Hac in re vero multorum sententiam secutus est, et foedus q. d. operum finxit, quod ADAMUS et *in* et *cum* eo tota ejus posteritas cum Deo iniisset, cui propterea a Deo juxta foederis conditionem ADAMI peccatum immediate imputaretur [1]). Saepius praeterea

---

1) Antiquiores jam ecclesiae doctores nonnulli dixerunt, Deum cum ADAMO foedus pepigisse, quo et omnes ejus posteri continerentur, ut HIERONYMUS in Hos. 6:7; maxime AUGUSTINUS, *De Civit. Dei*, L. 16, c. 27. His institerunt vestigiis Scholastici quidam. Imprimis post repurgata sacra doctrinam de imputatione peccati ADAMI posteris facta explicare

in foederis expositione locutiones occurrunt, ex corpore juris potius, quam ex Evangelio sumtae. Talia profecto neque apud COCCEJI aequales desiderantur, sed tamen majore ambitu apud eum occurrunt, et eo et sectatoribus ejus auctoribus magis popularia facta sunt. Haec vitia evitasset, si recordatus fuisset quod ipse in initio operis monet, Dei foedus cum hominibus non cum foederibus, quae homines ipsi inter se feriunt, confundi debere [1]).

Magnum denique vitium in nostro habendum est, quod in rerum expositione nimis dogmatibus opinionibus se duci passus sit. Quas de gratiae foedere ex Novo Testamento conceperat opiniones, eas ubivis reperire studuit. Videmus hoc e. g. in explicatione *Decalogi*, quem plane Evangelica basi fundatum esse voluit. Hinc etiam explicandum quod omnia dogmata Novi Foederis jam ante denuntiatum illud explicantur. Longe meliorem formam systema induisset, si COCCEJUS foedere operum rupto statim positivam expositionem foederis gratiae dedisset, et deinde, quomodo illa in historia gradatim patefacta sit, ostendisset. Tum rebus plane historicis verum locum dare potuisset, neque tot et tantos exegeticos errores committere coactus esset, ut singulas res praeconceptae opinioni aptaret. Exemplo hoc fusius illustrare volumus, ut melius etiam intelligere possimus, cur nonnullae partes systematis

---

studuerunt sumto foedere ejusmodi theologi. Postquam vero JOSUA PLACAEUS inter Reformatos et S. EPISCOPIUS inter Remonstrantes hanc rem negassent, CLOPP. et COCC. eam uberius proposuerunt et defenderunt.

1) Cf. p. 123.

foederalis formam illam contortam, quam hic illic observamus, acceperint.

§ 4.

COCCEJI *de ultimis* MOSIS *considerationes.*

Antea jam vidimus, quem insignem locum inter testes divinae veritatis COCCEJUS MOSI tribuerit. Huic consentaneus ecclesiae Christianae „necessitatem incumbere" putavit „suam fidem ex eo comprobandi" [1]). Ipse noster hoc consilio commentarium scripsit *ad ultima verba Mosis* [2]), ex quibus tum omnia dogmata Christiana, tum etiam ecclesiae tam Novi quam V. Test. fata eruit. Singulas primo partes alicujus pericopae tractat, quibus expositis deinde addit nonnullas observationes inde petitas, quibus probatur unum alterumve dogma sive de Deo ejusque cognitione, sive de CHRISTO ejusque justitia, sive de homine ejusque ad Deum conversione, deque modo salutis acquirendae, sive de ecclesia ejusque persecutionibus et victoriis, sive de aliis rebus, in Novo Testamento clare et sine aenigmate expositum, hoc vel illo dicto MOSIS, indefinitius quidem atque implicite, ita tamen vel contineri vel etiam affirmari et comprobari, ut CHRISTO manifestato facile sit utriusque doctrinae harmoniam videre.

CHRISTUM igitur Judaei rejicientes ipsius Dei foedus

---

1) *Ult. Mosis*, § 1, 2.

2) Plenior titulus est: *De ultimis* MOSIS *considerationes. Ad Deuteronomii capita sex postrema, confirmandae atque illustrandae religioni Christianae.*

rejecerunt, quod uti per Prophetas, ita etiam per MOSEM se aliquando cum iis facturum esse, denuntiaverat. Quod foedus, hic jam a MOSE denuntiatum, ut aliquando amplecterentur Judaei, minora beneficia sub V. Testamento a Deo acceperant, quippe quae talia erant, ut nequaquam veram cum Deo pacem, veram justitiam, veram vitam et veram filiorum libertatem per se continerent. Quod CHRISTI tempore Judaeos eo non intellexisse putat, quod „clavis ea cognitionis a Pharisaeis occultata (Luc. 11 : 52), et fascibus legum et fabularum ac sectarum nebulis (Matth. 15 et 23; Tit. 1 : 14) obruta esset", unde factum, ne discipulos quidem JESU claras et distinctas notiones ante ejus resurrectionem de MESSIA ejusque destinatione habuisse [1]).

Sed brevitur ad singulas res attendamus, quas monente COCCEJO, MOSES Israëlitis ultimis suis verbis et factis communicare voluerit. JEHOVAE jussu in terra Moabitica novum foedus MOSES cum Israëlitis pangit, distinctum a foedere Sinaitico. Nec tamen foedus illud ad Israëlitas tantum pertinet, sed etiam ad gentes. Quos enim MOSES designat „necdum praesentes" (Cap. 29 : 15), sunt „partim nepotes Israëlitarum, partim gentes" [2]). Utrique igitur Judaei et gentes unius ecclesiae sunt membra [3]). Ecclesia autem illa duplicem habet statum, alterum promissionis, alterum, quo omnia promissa accepta habet. Propterea in priore statu *sitiens* dicitur scil. eorum, quae in posterum promissa

---

1) l. l. § 208, 209, 217 sqq.
2) l. l. § 103 sqq. — 3) l. l. § 117.

erant; in posteriore vero *irrigua* sive *satiata* scil. acceptis omnibus, quae antea ei promissa erant [1]). Moses ergo (v. 19) adhortans, ne quis „in duritie cordis ambulet, ad addendum irriguum sive satiatum sitienti", illis verbis innuit: „ecclesiam satiatam non addendam esse sitienti" [2]), h. e. „enorme peccatum esse ecclesiam promissionis exhibitione *exsatiatam*, et quoad conscientiam consummatam redigere in ordinem ecclesiae *sitientis*, i. e. in metum mortis propter haereditatem terrae Canaän, datam in symbolum coelestis haereditatis et in servitutem elementorum mundi." Hoc praecepto Mosis neglecto, Judaei Christum deinde rejecerunt [3]). Ex superioribus videmus, quomodo auctor noster vestigia Evangelii indicare et propheticum Mosis characterem, historicis conditionibus neglectis, extollere conetur, ad doctrinae ejus cum Evangelio convenientiam ostendendam. Versum *quartum* interpretans, Mosem ibi docere dicit, fidem „donum Dei" esse [4]); nunc nobis in mentem revocat Mosis admonitionem „exacte quadrare doctrinae Apostolorum, jubentium stare in libertate, qua Christus nos liberavit, neque iterum subjugari elementis mundi." Similiter quae sequuntur (v. 20—29), explicantur de peccato in Sp. sanctum, a Judaeis rejecto foedere antea

---

1) l. l. § 128 sqq. 2) l. l. § 135 sqq.

3) l. l. § 138. „Hoc est peccatum Judaeorum, noluerunt Christum accipere abrogantem cerimonias legis, sed omnino voluerunt satiatam cum siticulosa in statu et conditione combinari, et adhuc exspectant talem Christum, qui relinquat ecclesiam sui desiderio tamdiu tortam in servitute et siti."

4) l. l. § 56 sqq.

ab iis agnito, commisso; de gentium in eorum locum assumtione, atque de majore inde orta Evangelii claritate, antea magis abscondita [1]). Quae deinde MOSES (Cap. 30 : 1—10) denuntiat de maledictionibus, quas Israëlitae experturi essent, deque externis et internis beneficiis, quae, postquam se ad Dominum convertissent, accepturi essent, signa sunt COCCEJO adventus CHRISTI appropinquantis, et qualitatis temporis, quo venturus erat. Ecclesiae passiones et persecutiones, quas poenitentia et circumcisio cordis hominum comitarentur, illustresque de hostibus victorias hic describi, sibi persuasum habet, quod ostendere conatur multis ex aliis V. Testamenti partibus locis allatis, quibus, quae MOSES docet, egregie illustrarentur [2]). Versum *sextum* explicans, ubi sermo est de poenitentia et circumcisione cordis Israëlitarum Deo peragenda, quum in terram haereditatis restituti essent, haud negligit noster in mentem revocare hujus promissionis convenientiam cum Evangelii doctrina de gratiâ et conversione sine ulla praevisa re in ipsis hominibus [3]). In caetera ejusdem capitis parte explicanda fusius illa auctor explicat, quum agit de praecepto fidei ad justitiam a Spiritu Dei insito cordibus, de nexu inter veram vitam cum Dei obedientia et mortem cum infidelitate; de fide denique, spe et amore Dei, necnon de malis, cui succumbent, qui hisce donis destituti manent: ubique ostendens, quae CHRISTUS postea docuit, diserte jam quamvis minus enucleate a MOSE praedicta esse [4]).

---

1) l. l. § 164—221. 2) l. l. § 222—459.
3) l. l. § 243 sqq. 4) l. l. § 460—572.

Ex iis, quae (Cap. 31) JOSUAE MOSES praecipit (v. 6, 7, 8), efficit COCCEJUS officia ecclesiae de hóstibus triumphantis, necessitatem fidei, hominum formidini oppositae [1]). Ex versu *nono* patere deinde declarat, post oralem verbi traditionem et legis publicationem per MOSEM factam, ad conservationem veritatis apud ecclesiam, pro sapientia Deum uti voluisse *scriptura*, omni lege orali, de qua adhuc Judaei loquuntur, exclusa; fidei illum canonem MOSIS scriptis depositum seniores et sacerdotes interpretari debuisse, nullis traditionibus suis additis [2]).

Canticum MOSIS (Cap. 32) ostenditur esse sermo propheticus, pertinens ad tempus Dei in carne manifestati [3]). Ejus explicatio auctori opportunitatem dat loquendi de plurimis dogmatibus in N. T. expositis, quorum vero indicia hic jam invenit. Sic ex textu eruit electionem veri Israëlis ex fide (v. 10), CHRISTI divinam naturam et opus in terra ab eo peractum; ipse est *Rupes salutis* (v. 15), quam Judaei rejecturi hic praedicantur [4]): porro severum Dei judicium in Judaeos et infideles propter rejectum Servatorem, gentium assumtionem in Dei populum, persecutiones CHRISTI discipulorum, ecclesiae verae characterem, mortuorum resurrectionem et judicium (v. 39) cet [5]). *Benedictionem* porro MOSIS (Cap. 33) prophetiam esse ab eo monemur status veri Israëlis sub Novo Testamento. In ea MOSES

---

1) l. l. § 574—587.
2) l. l. § 588—608.
3) l. l. § 690 sqq.
4) l. l. § 705—1132.
5) l. l. § § 1168, 1173, 1271, 1276, 1335, 1427, 1451.

sub nomine Patriarcharum varia per saecula ecclesiae fata praedicit [1]). Carmen septem continet pericopas, quae singulae singulas ecclesiae periodos adumbrant. Sic e. g. sub nominibus JOSEPHI et filiorum ejus describitur ubertas ecclesiae et pax, quam habuit in gentibus post cessationem persecutionum et destructionum idololatriae in imperio Romano; quinta periodus exhibet ecclesiae certamen cum *Anti-Christo* (v. 20, 21); septima denique ejus victoriam finalem [2]).

Postremum denique Deuteronomii caput exponens, copiosissime agit de MOSIS prae omnibus Prophetis praestantia; atque eum in omnibus typum CHRISTI fuisse, longa parallelia ostendit [3]).

Itaque COCCEJUS MOSEM in Evangelii praeconem plane transmutat, et talia eum praedicantem facit, quibus fere CHRISTUS, ut ita dicam, ad commentatorem ejus verborum refertur. Quomodo autem ad hunc agendi modum COCCEJUS ductus est? Nobis rem ita informamus. Acuto suo ingenio prophetias inveniendi ceteroquin studioso, saepius ex diversis enuntiatis s. scripturae plus petivit, quam revera continent. Scilicet ipse JESUS, MOSEM de se testimonium dare dicit. Apostoli saepius testantur, se nihil docere nisi quod MOSES et Prophetae dixerunt. Ex talibus enuntiatis COCCEJUS concludit, totam doctrinam in Novo Testamento traditam, in Veteri jam latere, et theologi Christiani esse, singula dogmata ex Veteri Testamento affirmare

---

1) l. l. § 1536 sqq.
2) l. l. § 1652 sqq.
3) l. l. § 1724 sqq.

et cujusvis rei veritatem in illo praedicatam esse ostendere. Hac in re JESU et Apostolorum exemplum sequi se, sibi persuasum habuit. Hi enim suis verbis saepius unum alterumve locum ex V. T. allatum applicant. Nec tamen putavit COCCEJUS, eos omnia jam attulisse, quae revera ad ipsorum dicta illustranda afferri possint [1]). Quapropter gnaviter indagari voluit Vetus Testamentum, praesertim scripta MOSIS, omnium maximi post CHRISTUM Prophetae, donec nobis contigerit, omnia Christiana placita ex hisce ostendere. Quibus si addimus auctoris ingenium, ad prophetias et typas inveniendas caeteroquin jam proclive, satis intelligere possumus, quomodo Veteris Testamenti indole neglecta, typologia omnem modum superante, tot ad ecclesiam q. d. Novi Testamenti retulerit, quae mere historici argumenti sunt. Hoc ipsum totius Theologiae COCCEJI maximum est vitium, quod saepius desiderio ductus omnia in omnibus locis inveniendi res prorsus alienas confunderet, et quae plane historica dicenda sunt, vel in prophetias vertit, vel praeconceptae opinioni de foedere gratiae accommodat. Auctoris sententia de mutuo nexu diversarum partium s. scripturae, deque ejus unitate ubique sibi simili in magnos errores eum duxit. Magnopere illud etiam nocuit Theologiae ejus foederali. Si COCCEJUS melius

---

1) Cf. *Praef.* p. 3. „Verum enim vero quae ipsius N. T. explanatio solida esse potest, sine demonstratione fontium? nisi sane putamus, in N. T. omnes demonstrationes, quae ex Veteri vel adductae fuerunt a CHRISTO et Apostolis, vel adduci possunt, verbotenus, expresse citatis locis, esse enarratas; et nihil superesse, nisi inanem atque sterilem paleam neque quicquam per clavim a CHRISTO porrectam cognoscendum restare."

attendisset ad veram indolem V. T. et discrimen, quod in beneficiis agnoscit ipse, sub utriusque Foederis oeconomiis a sociis foederis acceptis, doctrinae etiam latiore ambitu applicasset, non tantum non salva JESU auctoritate in tot et tam pravas atque detortas plurimorum locorum explicationes incidisset, sed etiam ex methodo, qua in doctrinae expositione usus est, satis pura pro suo tempore, ét biblicam Theologiam dare potuisset, ét historicam atque organicam doctrinae expositionem, quam magnopore ei curae fuisse, *summae foederis* conspectus, quem dedimus, satis nos docet, longe facilius et felicius expedivisset, quam nunc factum esse jam observavimus.

Tractanda nobis restat COCCEJI sententia de *Sabbato*, deque diverso modo peccatorum remissionis sub utroque Foedere. Utraque arcte cohaeret cum ejus Theologia foederali, multumque affert ad alterius prae altero foedere praestantiam, qualem COCCEJUS sibi informavit, melius cognoscendam.

§ 5.

COCCEJI *de Sabbato sententia.*

Decalogus quum nihil esset, nisi lex naturae et formula foederis gratiae, quam Deus cum populo Israëlitico juxta promissionem, olim Patribus factam, et ratione habita CHRISTI, fecerat, ut alia praecepta secundum hanc sententiam explicanda erant, ne foedus operum in eo inesse videretur, ita etiam *quartum* praeceptum foederi gratiae aptari debebat.

Videamus igitur quid noster *tum* de sabbato universo, *tum* de quarto praecepto, *tum* de Christianorum sabbato statuendum esse putavit. Veram Sabbati et moralem significationem esse COCCEJUS statuit, *tempus omne, quod Deus homini tribuit post absoluta opera ipsius, quibus homo utitur, sanctificandum esse* [1]). scil. „glorificatione Dei et gratiarum actione, virtutisque omnis et sanctitatis exercitio". Est igitur Sabbatum memoria diei septimi illius, quo Deus, absolutis operibus, quievit, et quem deinde homini sanctificavit, eo indicans, esse hominis omne tempus, post illum diem venturum, ipsi consecrare [2]). Nequaquam igitur ad veram notionem Sabbati pertinet, quovis die septimo ab opere licito homini abstinendum esse. Primus enim homo hoc de vacatione praeceptum non acceperat. Neque tale praeceptum ex lege naturae vel conscientiae deduci potest, cui optime quidem congruit semper Deum colere, minime vero hoc uno die plus quam alio opus esse [3]).

---

1) *Summa doctrinae* etc. p. 61.

2) l. l. Cf. Gen. II, § 8, 9, 10. „Neque vero debemus intelligere, sic septimum diem sanctificatum, ut Deus octavum et reliquos dies voluerit esse profanos et non sanctos; sed quod in septimo die exordium fecerit *omnis temporis sanctificandi*."

3) *Summa doctrinae* etc. p. 64. „Omnes fatentur, hoc praeceptum, quatenus dicit, septimo quovis die opus intermittendum esse, esse positivum. Fatendum est, naturam et conscientiam dictare sumendum esse idoneum et abundanter sufficiens tempus ad agendum potissimum officium, sed naturale esse, vel secundum rectitudinem Dei vel secundum rectitudinem hominis, ut aliquo die ex septem, quo edere et bibere et invitare hospites et invitari ad cibum capiendum et somnum de nocte capere peccatum non sit, opus facere peccatum sit, si quis studiose versetur in quaerendo regno Dei et justititia ejus, hactenus mihi demonstratum non est."

Quod autem attinet ad mandatum illud de cessatione cujusvis operis in Sabbato, hoc non ad veram Sabbati sanctificationem, neque primitus ad Decalogum pertinet. Hoc praeceptum iterata legis latione demum additum est cum omnibus aliis cerimoniis et ritibus ac placitis, quae Judaeis propter peccatum, in deserto vitulo aureo erecto commissum, imposita erant, et quod iis gravissimum fuit jugum. Quod peccatum nisi commisissent, ab omnibus molestis illis rebus veram quietem auferentibus, liberi mansissent. Sacrificia, Sabbati celebratio, purificationes aliaque ejusmodi non formam *mandati* accepissent, sed libera voluntate et Dei solo amore ducti haec perficere iis, uti antea Patribus, licitum fuisset [1]). Nunc autem illa signa condemnationis et impuritatis iis imposita sunt eoque factum est, ut Decalogus speciem foederis operum acceperit.

Praeceptum igitur illud de operis cessatione „cujusvis humani operis impuritatem declarabat, cujus apertum signum exstare Deus voluit inter Israëlitas.

---

1) Epist. II. ad *Corinth.* c. 3, § 40. „Decalogus bis datus est: 1°. quum Deus eum locutus est ex monte Sinai; 2°. quum eum attulit MOSES in tabulis lapideis scriptum. Postquam foedus transgressi sunt Israëlitae faciendo vitulum, Deus multa praecepta illis dedit gravia, et tamen neque ad viam, neque ad justitiam utilia. Ezech. 20 : 25; Hebr. 7 : 16, 19." Cf. *Indagatio naturae Sabbati et quietis Novi Testamenti*, Opp. Omm. T. VII, § 6 ... „Hactenus (usque ad MOSEM) sacrificia erant *libera*, non *imperata*. § 8. Ergo Decalogus nihil nisi foedus gratiae continuit, sive fidem promissionis, quae operosa esset per charitatem ... § 9. Sed quum MOSES in montem adscendisset ... Israëlitae vitulum fecerunt, eaque re ostenderunt, se foedus Dei et praecepta ejus, non revocasse ad animum." Ezech. 20 : 13, § 10. „Quae occasio et *ratio* (!) fuit dandi eis statuta non bona, et judicium in quibus non vivitur, et illos declarandi impuros donis suis, etc."

Quicunque igitur Judaeus huic mandato obsequebatur, eo ipso testatus est, sua ipsius opera se detestari, omnem propriam justitiam abnegare Deique patientiam profiteri; atque hoc ipsum *moralis* fuit praecepti significatio [1]).

Typicam praeterea significationem praeceptum illud habuit. Nondum enim vera, a CHRISTO afferenda, quiete fruiti sunt Veteres. In exspectatione vixerunt, atque hoc ipso melioris temporis siti et desiderio affecti. Res in pejus adhuc ruerunt per dogmata illa et placita difficilia, quibus majore etiam jugo onerati sunt [2]), quae vero omnia CHRISTUS aliquando abrogaturus, veram quietem afferret. Hujus autem verae et internae quietis signum fuit externae quietis praeceptum, maximeque accommodatum ad spem illius in animis fovendam. Itaque veram quietem illam semel allatam, toto animo sanctificandam et nequaquam negligendam esse, praecepit. „Qui igitur non observabat Sabbata, is abnegabat spem quietis a Deo dandae

---

1) *Summa doctrinae* etc. l. l. „Septimo quoque die opera omnia sub poena mortis interdicta fuisse, id a peccato venit. ——— Illa igitur severitas notat, omnia peccatoris opera talia esse, ut per ea Deus non sanctificetur. Non, quod hoc demum ex illo interdicto operis cognoscatur; sed quod Deo visum fuerit, in foedere confessionem impuritatis et indigentiae sanctificationis faciendam per eam abstinentiam exigere. Hoc igitur est a lege *morali* opera nostra impuritatis accusante. Sed tamen sex dierum indulgentia patientiam Dei *ceremonialiter* testatur. Igitur obedire huic praecepto erat abnegare justitiam suam et puritatem operum suorum. Deique patientiam profiteri." Cf. *Typus concordiae*, § 45.

2) *Indagatio* etc. § 12. „Atque ita in Israëlitis necessario fuit sitis atque exspectatio lassans, quam omnes figurae et typi accenderant; et praeterea ipsis quotidiana commemoratio et exprobatio peccati, et scrupuli molestissimi et metus mortis, et perpetua servitus gravissima et importabilis fuit".

per CHRISTUM a conscientia peccati et operibus mortuis, ut et legis" [1]).

Vera et falsa hic ingeniose inter se mixta esse, unusquisque videt. Nimis mihi COCCEJUS videtur Novi Testamenti Sabbati naturam et indolem Judaico praecepto applicasse, ideoque nimis idealem hujus dedisse explicationem. Non satis attendit, in hoc ipso de abstinentia operis praecepto Judaico positam fuisse Sabbati sanctificationem, qua Jehova voluit indicare, se eum peculiari modo ad suum cultum prae aliis gentibus segregare. Hoc vero si tenuisset, hypothesis ejus de Decalogo cecidisset. Quod ut evitaret, conjecturam, omni fundamento destitutam, eum arripuisse videmus, ex Rabbinorum Theologia fortasse petitam, quorum nonnulli idem dixerunt.

Ex superioribus jam efficere possumus, quomodo COCCEJUS de *Christiani Sabbati* celebratione senserit. Hic eum contra VOETIANOS, singulari modo Evangelicum principium legis positivae auctoritatem excludens, tueri videmus. Nec mirum! Si enim externa quies, sub lege Mosaica observanda, adumbratio fuerit verae animi et conscientiae quietis, quam CHRISTUS daturus aliquando erat, externam illam quietem abrogatam

---

1) *Summa doctrinae* p. 61, 65, *Indag.* § 17. „Quapropter secundum analogiam fidei verba quarti praecepti — possunt per consequentiam accommodari ad rem significatam hoc modo. Quum illuxerit ille dies atque id tempus, quo absolutum erit opus Dei, quod ad sanctificationem et purificationem conscientiae adhuc requiritur, vide et cura diligenter, ut id tempus tanquam tempus quietis sanctifices, tum gratias agens illi pacificatori, tum eum glorificans omnibus modis: nominatim id distinguas a tempore sitis, servitutis, lassitudinis, molestiae nunquam quiescere sinentis."

esse, postquam venerit ipsa res, quam adumbravit, consentaneum est.

Totum potius Novi Testamenti tempus quies dicendum est, verumque igitur hujus temporis Sabbatum est, hanc quietem amplecti et grato animo sanctificare. „Constat" inquit [1]) „quod totum tempus Novi Testamenti sit *Sabbatum verum*. Apostolus eum nominavit *σαββατισμόν* .... Nam tempus, quo non est ira, non sitis, non timor mortis, non servitus, est *dies quietis*, et sic *dies Sabbati*. Non potest igitur dubitari, quin eos, qui habent hoc novum verumque Sabbatum sibi notificatum et oblatum, quod ecclesiae in sanguine CHRISTI paratum est, teneat id, quod dicitur in praecepto quarto, *observa diem Sabbati ut sanctifices eum*". Magnum igitur peccatum est, verum Sabbatum ponere in diei singularis observatione nullo opere perpetrando, atque ita umbras pro ipsis rebus sumere [2]). Qnid igitur? Num praeceptum sanctificandi Sabbatum nullo modo pertinet ad ecclesiam Christianam? Ad hanc quaestionem COCCEJUS „utique" inquit [3]) „nempe *morale* praecepti. Atqui morale praecepti non est, distinguere dies, quemadmodum nec cibos distinguere est morale et *αἰώνιον καλὸν*, sed damnare propriam

---

1) *Typus concordiae*, § 84, Cf. etiam § 91, 93.

2) *Indagatio*, § 14. „Unde consequitur magnum peccatum esse, et abnegationem *sanctificationis* divinae, et rejectionem foederis Dei, non agnoscere eam *requiem*, et id tempus requietis, et ea, quae ad sitim excitandam et ad fatigandum faciebant sanctificatis in sanguine Testamenti et consummatis imponere, atque ita *satiatos adjungere sitientibus*."

3) Explic. epist. ad *Hebr.* Opp. Omn., T. V, c. 4, § 46. *Indagatio* § 17, 77. *Select. Disput.* 23, § 20, alibi.

justitiam et quietem Dei praestitam fide cordis cum gratiarum actione amplecti, cessare ab opere servitutis pristinae et in libertate annum gratiae sanctificare. Quod ad omnes dies pertinet." Nequaquam igitur Christianis incumbit praeceptum ab opere cessandi die definito. Hoc iis impositum esse, putant Judaei et Pseudo-Apostoli [1]). Naturale tale mandatum ADAM, ABRAHAM et Patres non habuerunt. Pugnat etiam cum natura praeceptorum Novi Testamenti, quae sunt praecepta fidei et charitatis. Nulli denique loci Novi Testamenti talem vacationem operis docent. (Marc. 2:27, 28; Col. 2:16, 17; 1 Cor.16:1, 2; Rom. 14:5, 6; Hebr. 4:9). Ergo „quiescendum est a scrupulis et ab omni formidine et timore, sub quibus fuerunt Veteres, et a servitute illarum rerum, propter quas homo non est factus" ... Contra „legem dare, scrupulos, formidinem injicere et nemini licet, et est insigne peccatum." [2])

Magnae tamen utilitatis esse noster putat unum diem prae ceteris ad Dei glorificationem et ad congregationes religiosas observandas a Christianis institutum esse. Qua in re diem septimum Judaeorum diei *dominico* locum cessisse, magnas rationes habere dicit. Resurrectio enim CHRISTI ad vitam perpetuam ac beatam et regnum *primus* fructus est operis Dei in morte CHRISTI consummati; testimonium evidentissimum justificationis in morte ipsius paratae, et quasi nostri, qui in ipsum credimus, absolutio. Est itaque resurrectio illa tanquam „novi temporis finem non ha-

---

1) *Indagatio*, § 31—34. 2) Ita et Cat. Heidelb. *quaest.* 103.

bentis exordium." Hujus autem eventus memoria est dies ille *dominicus*, quem si celebremus, fidem nostram profitemur, CHRISTUM glorificamur, et quietem N. T. sanctificamus [1]). Cujus rei amor et fides, non vero lex et necessitas, principium esse debet. „In quo die qui in libertate conveniunt, ut laetentur, debent id facere ex *charitate*, non ut *ex necessitate* omittentes opus" [2]).

§ 6.

COCCEJI *sententia de* παρέσει *et* ἀφέσει.

Praeter Sabbatum, diversam etiam rationem, qua sub utroque Foedere peccatorum remissio data est, ad discrimen utriusque cognoscendum multum valere putavit COCCEJUS. Fuse hac de re egit in disputatione ad VOETIUM refutandum edita [3]), qui discrimen illud *cabbalistico-criticam* subtilitatem dixerat. In ea ostendit gratiam Dei peccata condonantem ad utrumque foedus referri debere, quamquam sub utroque non plane eandem vim in animis illa habuit. Sub Novo enim Testamento fuisse ἄφεσιν, sub Veteri contra πάρεσιν. Veritas illa injuria a Judaeis, Socinianis et Romano-Catholicis depravata est. *Judaei* enim statuunt [4]), „dependere a placito Dei, quibus conditionibus velit

---

1) l. l. § 25 sqq.

2) Comment. in *Ezech.* c. 20, § 16. Cf. etiam SCHOLTEN, *Leer der Hervormde Kerk*, T. I, p. 353.

3) Titulus est *Moreh Nebochim. Utilitas distinctionis* etc. Cf. etiam *Animad. ad* 83 *quaestiones de V. Testamento et lege Mosis, qu.* 68; alibi.

4) l. l. § 7 sqq.

hominem justum dicere, et ei peccatum remittere. Placuisse autem Deo, praecepta Israëli dare, quae faciendo justi sint; et inter ea esse praeceptum *conversionis* et bonorum operum, et praeceptum oblationis sacrificiorum pro peccatis. Per ea autem hominem habere jus ad vitam aeternam, et sic esse justum secundum legem. Fidem autem, quam Deus exigit, esse, hoc credere." *Sociniani* distinguunt inter legem minus perfectam, olim Judaeis latam, et perfectiorem, a CHRISTO datam, „quam Deo placuerit dicere conditionem remissionis peccatorum", nulla tamen justitiae Dei ostensione interveniente. Fides enim CHRISTO habenda nulla alia est quam fides ejus potestatis, „per quam daturus sit vitam aeternam obedientibus sibi." *Pontificii* denique CHRISTUM mortuum esse pro peccatis vivorum et mortuorum, sed tamen in peccatoris justificatione maximam vim ponunt in *habitu infuso*, in baptismo, aliisque q. d. bonis operibus ex opere operato praestitis. Omnes hos errores refutari censet scripturae dogmate de justificatione, rite imprimis intellectis duobus locis, qui arcte inter se cohaerent, veramque nobis praebent notionem de remissione peccatorum, deque fundamento, quo nititur. Alter est *Rom.* 3 : 25; alter *Hebr.* 10 : 18. Ex *illo* discimus, „Deum proposuisse CHRISTUM propitiatorium per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiae suae, *propter transmissionem* peccatorum ante factorum (διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων); ex *hoc* vero „ubi *remissio* est peccatorum, non adhuc oblationem esse pro iis", (ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκέτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας). Errant, qui vocabula haec idem signi-

ficare dicant. Alterum enim tantum denotat *transmissionem* s. *non imputationem;* alterum vero *remissionem*, omnem metum in posterum excludentem. Itaque PAULUS hic nos docet, *primum* Deum patrum peccata non punivisse, et propterea justitiam suam postea in CHRISTO ostendisse; per CHRISTUM igitur factum est, ut Deus peccata haec praetermittere potuerit. Igitur patres remissionem habuerunt non propria justitia, vel bonis suis operibus, sed per CHRISTUM [1]), sufficiens ἱλαστήριον, cujus figura antea in templo exstabat (כַּפֹּרֶת) [2]).

Nec tamen illa remissio perfecta dicenda est. Semper enim recordatio peccatorum mansit, neque conscientia consummata fuit. Potius igitur *transmissionem* [3]), quam *remissionem* actum illum Dei condonantis dicendum esse, *deinde* ab Apostolo docemur. Ex industria enim voce παρέσει utitur, „quia voluit distinguere inter actum Dei adhuc ad tempus *destitutum reali* (ut ita loquar) *ostensione justitiae ipsius*, et actum, quem exercet, *exstante ostensione reali justitiae*

---

1) l. l. § 64. „Si igitur mors CHRISTI pertinet ad *ostensionem justitiae Dei*, cum qua condonat peccata, evidens id argumentum est, eos, qui in gloriam introducti sunt, nihil habuisse suum, propter quod justi dicti sint, quodque fuerit causa glorificationis ipsorum".

2) l. l. § 47, 50.

3) l. l. § 76. „Qui per oblationem CHRISTI ἐτελειώθησαν, consummati sunt, ante eam vero non exhibitam non ἐτελειώθησαν, aut conscientiam purgatam habuerunt, sed fuerunt sub lege faciente mentionem peccati, et chirographum exhibuerunt contrarium sibi, ut conscientiam peccati habentes; eorum respectu fuit πάρεσις transmissio. Atqui haec de fidelibus, qui ante legem et sub lege fuerunt, distincte dicuntur. *Hebr.* 10 : 1, 2, 3, 14; 9 : 14; Col. 2 : 14."

suae; atque insuper docere, remissionem absque ostensione justitiae *veram* remissionem divinam non esse" [1]). Igitur vera demum Dei justitiae ostensione facta, perfecta peccatorum remissione fruimur; nam hoc ipso factum est, ut peccator *justus* constitui possit, uti membrum in capite CHRISTO justificato, sine qua justitia remissio perfecta non fit, neque bono fundamento nitens [2]). Cujus rei beneficium sub Novo demum Testamento nos accipere, PAULUS verbo quo usus est declarat.

Hisce consentaneum est quod legimus altero illo loco, ubi diserte declarat Apostolus semel ἀφέσει, *remissione* per CHRISTUM data, omnia sacrificia sublata esse, nullumque amplius exstare chirographum vel recordationem peccatorum [3]). Vera et falsa denuo COCCEJUM miscere patet. Jure mihi videtur minorem V. Testamento condonationem tribuisse; s. scriptura aperte hoc docet. Injuria tamen locos laudatos tam arcte inter se conjunctos esse putavit, ut ex iis ad oeconomicum discrimen concludere liceret. Neque PAULUS

---

1) l. l. § 69.

2) l. l. § 72, 73 .... „Luce meridiana clarius patet, dum ostendatur justitia Dei volentis condonare peccata, liberationem a poena (quae non potest esse alia, quam sanctificatio in hac vita et glorificatio post hanc vitam) si spectes eum actum solum, hactenus esse (praeter consilium Dei et voluntatem non afficiendi poena et ad mercedem justitiae admittendi, et suo tempore hanc non-punitionem justificandi, atque indicationem hujus voluntatis) tantum *non-punitionem peccati*, atque ita ejus πάρεσιν, transmissionem. Quando autem accedit ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τοῦ θεοῦ *ostensio justitiae Dei*, tum etiam ostendi τὴν ἄφεσιν καὶ τὴν δικαίωσιν, atque inde id, quo ostenditur justitia Dei, nempe redemptionem recte appellari τὴν ἄφεσιν, remissionem."

3) l. l. § 88.

(l. l.) de patrum V. Testamenti, sed de omnium peccatis, qui ante CHRISTUM vixerunt, loquitur. Etiam hic COCCEJUS, quod saepius jam vidimus, ex verbis plus petivit, quam continent. Ut tota doctrina de Testamentis ex male intellecta comparatione Paulina sumsisse videtur, sic etiam ex vocabulo *παρέσει*, quod semel tantum occurrit, sententiam suam de patrum sub V. T. remissione comprobare studet.

De laudato COCCEJI discrimine acriter disputarunt aequales. Objecerunt ei, quod qualemcunque remissionem patribus abnegaverit. Contrarium vero quae supra monuimus satis docent; licet fatendum sit, hic illic COCCEJUM nonnulla scripsisse, quae huic accusationi ansam dederunt.

Ceterum hic praecipuum discrimen se ostendit inter COCCEJUM ejusque adversarios. Hi omnes omnino fideles sub V. Testamento eadem dona divina habuisse dicebant, atque fideles sub N. Testamento viventes [1]); ad quam sententiam probandam provocabant ad aeternum Dei cum Filio pactum, secundum quod Filius sponsor factus esset, ut aliquando pro peccatis lueret. Propter illam sponsionem a Filio *promissam* Veteres jam plenam atque perfectam peccatorum remissionem accepissent. Aliter vero COCCEJUS. Statuit enim, Deum propter sponsionem promissam transmisisse tantum peccata, et sponsione demum *facta* veram pacem, absolutam conscientiae purificationem, perfectam remissionem, chirographo deleto et abolitis omnibus ceremoniis, in quibus commemoratio erat peccatorum, dedisse. Sic

---

1) l. l. § 108.

voluit, *tum* omnem acceptilationem gratuitam excluderè [1]), *tum* ad utrumque Testamentum CHRISTI meritum referre, *tum* etiam utriusque discrimen rite tenere. Adversarii igitur COCCEJI fructus justitiae animique pacem derivant ex ipso pacto; COCCEJUS contra magis attendit historicam et oeconomicam pacti illius exsecutionem, eique pleniores fructus foederis gratiae annectit, quo magis exsecutio ad perfectitudinem venit [2]).

---

1) l. l. § 72, 100.

2) Cf. GASS, l. l. T. II. p. 294 sqq.

EPICRISIS.

Pervenimus ad finem nostrae disquisitionis. Restat ut verbo adhuc dicamus de COCCEJI meritis. Quae ut rite dijudicare possimus, *primum* varia de viro judicia audiamus, quibus *deinde* nostrum ipsius judicium addemus.

Quo magis COCCEJUS et apertius Scholasticismo se opponebat, et eum a vulgo recepta opinione in nonnullis abire clarius patebat, eo magis odio haberi coeptus est apud veterum asseclas, quorum plures ferre non potuerunt, tanta eum audacia ipsorum methodum scholasticam prosequi. Mox diversae lites exstiterunt magna saepius *tum* acerbitate et animi angustia, *tum* etiam malitia et rerum ignorantia gestae. Nostri non est, fuse hasce lites enarrare, quod qui facere vellet, librum satis magnum scribere posset. Pauca tantummodo generalia tradimus, quatenus a nostro proposito non aliena nobis visa sunt.

Prima lis orta est de *Sabbato*, postquam COCCEJUS Epistolam *ad Hebraeos* ediderat, et HEIDANUS sententiam ejus in disputatione *de Sabbato et die dominica* fusius exposuerat. ESSENIUS et HOORNBEECK *per-*

petuam moralitatem quarti praecepti defendebant; HEIDANUS et COCCEJUS plura in illa lite scripta ediderunt. Hic frustra lites componere conatus est edito *Typo concordiae*, quo partes reconciliare studebat, donec tandem, Ordinibus Hollandiae et Synodo Goudana a° 1659 intervenientibus, partes silere jussae sunt [1]).

Nec tamen quiete frui ab eo inde tempore COCCEJO licitum fuit. Valde saepe in epistolis queritur de molestiis et adversariorum odio. „Ego hic habeo adversarios *ψιθυριστὰς*" — ita scribit a° 1660 in epist. 71 — „qui omnia, quae ago, obtrectant, et studiosos a me audiendo dehortantur." Et in ep. 97 (a° 1663 data) „quam durum est illis, qui in bona conscientia officium faciunt, communi susurro gravamina Synodalia minitari eos, qui, quod carpunt, non intelligunt, neque intelligere volunt; et eum, quem carpunt nunquam alloquuntur, et ejus rei auctores esse collegas et Ismaëles quosdam, quorum manus est contra omnes, sed quid ego conqueror, quasi nihil debeo pati?"

---

1) Plurima scripta tam Latina, quam Belgica in hisce litibus edita laudantur apud YPEY EN DERMOUT, l. l. T. II, p. 472 sqq. Quanto odio a multis COCCEJUS habitus sit, patere potest ex libro maledico a pseudonymo quodam, qui NATHANAEL JOHNSON, *s. s. Theol. licentiatus*, se dicebat, sed cui PASCHASII nomen fuisse postea patuit, edito, cui titulus erat *Sententia Sociniana de Sabbato et quarto praecepto, inimica pietati cum vindiciis expressi mandati de institutione diei dominicae.* De hoc libro COCCEJUS in familiari epistola (62) dicit: „In HEIDANUM et me prodiit liber magnus NATH. JOHNSON, plenus ignorationum elenchi et hallucinationum et detorsionum. Hoc agit, ut nos Socinianos faciat, etiam ubi Socinianis contradicimus. Non existimaveram, tantam ignorantiam sensuum scripturae esse in Theologiae studiosis, quantam deprehendo."

Alibi: (Ep. 286*) „An putabimus, nos aliam sortem debere experiri, quam omnes experti sunt, qui verbum Dei hominibus commendant?"

Agminis eorum, qui COCCEJO tot et tam ignominiosa objecerunt, princeps fuit MARESIUS ille, vir, cujus vita fere peracta est in aliis objurgandis. Anno jam 1663 quaestiones LXXXIII ediderat contra disputationem, quam MOMMA, discipulus COCCEJI, praeside magistro, de rebus foederalem Theologiam spectantibus privatim defenderat; cujus tamen forte fortuito nonnulla excerpta MARESIUS acceperat. Ad illas mox COCCEJUS dedit suas „*Animadversiones*", ostendens, plurima falsa et detorta ad eum relata esse. Res tamen in pejus ruerunt, postquam, lite a° 1669 inter MARESIUM et ALTINGIUM collegam de quaestionibus nonnullis orta, Facultas *Leidensis*, a Curatoribus academiae *Groninganae* rogata, ut consilium hac de re daret, ALTINGIUM ab haeresi absolvit. Qua de re certior factus MARESIUS ira incensus est ut in ALTINGIUM, ita imprimis in COCCEJUM, qui, Facultatis Decanus, consilium scriptis mandaverat. Mox in eum librum maleficum scripsit, cui tamen COCCEJUS, amicis dehortantibus, non respondit. Nec tamen diu COCCEJUS hujus [1]) aliorumque odium sustinere debuit. Eodem enim anno mors in meliora loca eum transtulit.

---

1) Cf. Epist. 177 ad ALTINGIUM .... „Mihi sufficit, quod, quae MARESIUS dicit, praeter ea, quae recitat nostris verbis, ficta sunt omnia et falsa. Sed videtur ille homo furiosus, cui Deus mentem sanam det, in suis Bibliis legisse, non: Charitas *operit* multa peccata, verum charitas *aperit* multa peccata." De MARESIO conferri possunt Epp. 93, 97, 102, 181, 496*.

Ex iis, quae MARESIO auctore adversarii COCCEJO objecerunt, cernere possumus, quantopere ejus Theologiam odio habuerint. *Novaturiens*, *scripturárius* dicitur, porro *insignis scripturarum depravator sub praetextu majorum profectuum*. Objecerunt ei, eum terminos in Theologia semel receptos, mutasse [1]). Quid? quod valde in eum plures invecti sunt, quia in multis recesserit a versione *Dordracena* et annotationibus huic additis [2]). Concedit quidem MARESIUS, glossas non canonicas a theologo haberi posse, sed tamen „velim" inquit „ut si quid in hac glossa reperiat, quod vel non assequatur vel non placeat id silenter et prudenter praetereat, ac dissimulet, nulloque modo publice aut privatim, directe vel indirecte, mordeat vel refutet" [3]). Quarumcunque denique haeresium adversarii eum accusabant. Dicebant eum *Socinianum*, *Vorstianum*, *Chiliastam*, *Cartesianum* etc. Supervacuum est, diu in hisce nos detinere. Ostendunt nobis illae maleficae accusationes multorum hujus temporis servilem animum et odium, quo COCCEJUM prosecuti sunt. Accusationes enim illae vel ex malitia ortae sunt,

---

1) *Vita* COCCEJI, p. 24.

2) l. l. p. 26, ubi adversariorum verba a COCCEJI filio sic allegantur: „Sunt" inquiunt „interpretationes scripturae a doctissimis viris conscriptae, habemus versionem Belgicam, et ejus annotationes a viris doctissimis et orthodoxiae tenacissimis additas, has confidimus esse bonas, cum uno plus videant multi, et publica auctoritate ecclesiis Belgicis sint traditae; iis inhaerendum est, ab iis non recedendum, neque eae rejiciendae. *Magnae enim est αὐθαδείας et superbiae, velle se unum praeferre caeteris omnibus ecclesiae doctoribus, ac illud Abaelardi usurpare: alii quidem omnes sic, ego vero sic.*"

3) l. l. p. 27.

vel ex una alterave re, in qua plus minusve cum adversariis COCCEJUS facere videbatur [1]).

Tanta vero invidia et odio affecto multis etiam amicis gaudere COCCEJO contigit; in quorum numero celeberrimos ejus temporis Theologos fuisse epistolae ejus nos docent. Amici illi cum crescente invidia in dies aucti sunt. Ut adversarii multi nihil in COCCEJO laudandum videbant, hi saepius ad coelum usque eum extulerunt. Fuerunt inter discipulos, qui COCCEJI explicationes et opiniones de typis, de Testamentis, de prophetiis, de Ecclesiae periodis et casibus, de temporum signis, de Patrum siti etc. cum singulari admiratione et subtilitate tanquam summam sapientiam antea absconditam, nunc vero in claram lucem positam, defenderent, et magno saepius contemtu eos tractarent, quibus merae conjecturae esse videbantur [2]). Ab utraque igitur parte peccatum esse manifestum est.

Jure enim saepius Voetiani q. d. se opposuisse mihi videntur plurimis COCCEJI hypothesibus et explicationi-

---

1) COCCEJUM Chiliasmi fautorem fuisse, nullo jure dixerunt. Contrarium enim docent ejus commentarii. Accusationi *Socinianismi* et *Vorstianismi* ansa dedisse videtur COCCEJI definitio de Dei omnipraesentia, unde perperam adversarii collegerunt, eum cum *Socinianis* et VORSTIO Dei omnipraesentiam secundum essentiam negare. Statuit enim COCCEJUS Dei omnipraesentiam esse *efficacissimam Dei voluntatem, omnia sustentantem atque gubernantem.* Ad Dei igitur operationem illam referebat, omni notione loci et extensionis exclusa, et quia Deus ubique operatur, ubique etiam secundum essentiam praesentem esse voluit. *Sociniani* vero et VORSTIUS dicebant Deum in coelo tantum esse secundum essentiam, in aliis per solam virtutem; quam sententiam noster, ut Anthropomorphismum redolentem rejecit. Cf. Epp. 169, 170, 176.

2) Cf. YPEY, *Gesch. van de Christ. Kerk* etc. T. VII, p. 230.

bus, quarum multae revera *novitates* potius, quam *profectus* dici poterant, quas quum contemnerent, non dicam ab ipso COCCEJO [1]), attamen ab ejus sectatoribus injuria saepius scripturae contemptores habiti sunt.

Magno tamen vitio id iis vertendum est, quod tanto odio in nostrum invecti sint, et prae vitiis omnes ejus virtutes neglexerint, quas tamen illas longe superare quis est, qui non libenter agnoscat? De utrisque jam data occasione locuti sumus. Hic pauca adhuc dicenda supersunt.

Num rite, quod saepius factum est [2]), COCCEJUS cum SPENERO comparatur? Huic quaestioni haud prorsus affirmando responderi posse nobis videtur. Utrique commune fuit odium Theologiae scholasticae. Sed SPENERUS ob eam maxime causam huic se opposuit, quia vigente illa vitam Christianam prorsus fere in ecclesia Lutherana exstinctam videbat. Hanc repurgare et denuo excitare studuit. Quod ut ei contingeret *collegia pietatis* et *philobiblica* instituit, quae practicum prorsus finem habuerunt, ut iis homines emendaret et pietate nutriret.

COCCEJUS vero ipsam disciplinam theologicam repurgare studuit, Theologos a formulis philosophis ad scripturae formulas revocans.

Eum magnopere sic vitae etiam Christianae et pietati profuisse nullus infitias ibit; sed non primus hic ei scopus fuit. Hac in re longe ei antecellit

---

1) Ipse COCCEJUS scribit in epistola 127 ad HEIDEGGERUM: „Gaudeo quod popularibus tuis communicasti sensum *Cantici Mosis*. Nam est id magni momenti. *Omnes legunt, ut non legentes.*" (?)

2) Cf. THOLUCK, l. l. T. II. p. 226.

VOETIUS, qui tertium comparationis si rite teneatur, multis nominibus cum SPENERO comparari potest. Saepius enim hic in operibus queritur de pietate a multis neglecta. Quam ut proveheret *collegia pietatis* instituit; scripta *ascetica* plura edidit, studiosis ab initio inde sui stadii de necessitate pietatis cum Theologia conjungendae persuadere conatus est; catechisationes juventutis, in ecclesia *Ultrajectina* eo tempore valde neglectae, ipse denuo in vitam revocavit; TEELLINCK, LODENSTEYN, KOELMAN aliique viri, pietate insignes et de vita christiana inter populares optime meriti, intimo amicitiae vinculo ei conjuncti fuerunt. Quod igitur de SPENERO valet, eo auctore novam demum vitam in ecclesia Lutherana ortam esse, id ratione habita ecclesiae Reformatae nequaquam de COCCEJO dici potest. Hic unam rem praecipue attendit, in qua per totam vitam unice fere versatus fuit, scilicet scripturae *interpretationem*. Alias partes Theologiae nequaquam tractat propter ipsarum momentum, sed ut melius *scriptura* intelligi queat [1]); ut scripturae interpretatio proveheretur conventicula exegetica jam in Frisia eum instituisse vidimus [2]). Summum et unicum fere eruditi Theologi decus esse censet, si rite s. scripturas intelligat. Epistolarum, quae frequenti numero nobis reliquit, longe plures versantur in solvendis quaestionibus grammaticis et exegeticis. Fere nunquam in iis de rebus ad practicam theologiam pertinentibus loquitur. In sermonibus coram populo habendis id a

---

1) Cf. Ep. 130 nobis allata p. 58.

2) Cf. p. 55.

concionatore maxime requirit, ut rite textum explicet, ut auditor bene intelligat, quid verbis significetur [1]).

Licet igitur COCCEJUS vir fuerit, cujus singularis pietas omnes laudes superat, et in quocumque Theologo vel ecclesiae pastore pietatem sinceram primam conditionem haberi voluit, tamen negari non posse nobis videtur in Theologia ejus germina fuisse, quibus excultis facile fieri poterat ut apud sectatores, pio magistri animo carentes, cognitio docta scripturae praxi anteponeretur. Quod re vera factum esse satis superque unicuique patebit, qui leviter modo percurrerit sermones, quos pro populo habere solebant Coccejani. Ab initio inde ad finem versantur in textu exegetice explicando. Copiose saepius agunt de suis hypothesibus. Vana ostentatio eruditionis obviam in iis occurrit. Locutiones latinae, graecae, chaldaicae, syriacae, ut ex s. scriptura, sic etiam ex profanis saepius auctoribus allegantur. Saepissime etiam quomodo unum alterumve vocabulum, quod in textu occurrit, in textu originali vocatur, indicatur, et fuse diversae ejus significationes exponuntur, ita ut lexicon potius vel commentarium eruditum, quam sermonis fragmentum legere te putes. Ad praxin rarissime attenditur. Saepius contra diu concionator versatur in allegoriis, typis, ecclesiae periodis etc. explicandis [2]). Hinc pro

---

1) Cf. Ep. 105.

2) De Coccejanorum theologia allegorica, typica, prophetica conferri meretur YPEY, l. l. T. VIII. p. 387—393; et 467—514, ubi brevis ejus conspectus historicus invenitur.

parte explicandum quod COCCEJUS ejusque sectatores multis-hominibus, pietate et animi sinceritate inter laicos insignibus, minus accepti fuerint [1]), quam VOETIUS, et qui ab hujus partibus stabant. Hi enim scriptis et sermonibus multo magis ad practicam attendebant, et cordis inopiis satisfacere studebant. Non ego sum, qui horum sermones defenderem; saepius enim mysticismus pravus in iis fovetur; sed si eos compares cum Coccejanorum doctis disputationibus, certo certius longe iis praeferendae sunt, quod nisi nos detineret, exemplis facile comprobare possemus [2]). Jure igitur saepius Voetiani Coccejanis objecerunt, quod vitae non satis curabant. Verum quidem est COCCEJO non imputari posse sectatorum peccata; sed tamen nimis hypotheses suas urgendo, et res novas, quas in scriptura invenisse putabat, immodice inculcando, ipse invitus ad discipulorum stultitias ansam dedit.

Nec tamen vitia illa tanta sunt ut cum magnis nostri virtutibus comparari possint.

Quot enim quaeso! damna *tum* theologiae disciplina, *tum* vita Christiana, tam arcte cum illa cohaerens, magis magisque capere debuisset ex scholastica illa methodo, cui vulgo eo tempore Theologi addicti erant, nisi vir exstitisset, qui irrepsum venenum prorsus eradicaret. Periculum aderat ne ARISTOTELIS auctoritate mox revivesceret in ecclesiis Protestantium ex M. A. Scholasticis potius, quam ex s. scriptura sumta

---

1) Minus recte ERRARD dixisse mihi videtur (in HERZOGII *Encyclop. real.* sub voce): „COCCEJUS hatte die erweckten Christen auf seiner Seite."

2) Exempla afferuntur apud YPEY, l. l. T. VIII, p. 577—589.

theologia. Nimia plurium stabilitas magis magisque Reformatorum principium exstinxisset, et nisi quis ei acriter obstitisset, novum quendam papatum, nomine tantum mutato, tandem in ecclesiam introduxisset. Quae COCCEJO adversarii objecisse vidimus, satis hoc docent. In ea mala se non incidisse pro magna parte ecclesia reformata Nederlandica COCCEJO debet. Eo auctore nova vita orta est in Theologia. A polemica ratione scripturae tractandae ad totam scripturam Theologos revocavit. Studia linguistica novo rursus ardore a Theologis sunt instituta. Exegesin a Dogmaticae jugo, et traditionis auctoritate, quae ab anno inde 1619 in dies creverat, liberavit, et ei proprium eique convenientem locum assignavit. Gravissima illa veritas ab aequalibus nimis neglecta, Spiritum sanctum in omnem perpetuo veritatem ducere CHRISTI discipulos, eoque duce ecclesiae esse perpetuo in cognitione veritatis proficere, et s. scripturae perscrutatione iterum iterumque renovata, magis magisque thesauros ea absconditos eruere, clare denuo a COCCEJO in luce collocata est. Ab eo inde multi Theologi cum adversarii, tum COCCEJI sectatores tam in patria nostra, quam in aliis regionibus [1]), rejectis vanis ex philosophia Aristotelica terminis et distinctionibus, ex solis scripturis doctrinam Christianam haurire, et Reformatorum et COCCEJI vestigiis insistentes, *Theologiam biblicam* condere coeperunt. COCCEJUS primus est magni numeri Théologorum, qui *tum* dog-

---

1) E. g. GERHLERUS *Basiliensis*; HUNDIUS *Duisburgensis*, alii. Cf. Epp. 157, 166*, 185*, 376*.

maticam disciplinam organice et historice tractarunt, *tum* exegeticis studiis gnaviter operam dederunt.

Alii ut HEIDANUS, FR. BURMANNUS, BRAUNIUS, alii methodum foederalem COCCEJI secuti sunt, quam multis momentis emendarunt [1]). Alii etiam, qui laudatam methodum non secuti sunt, rejecerunt tamen scholasticam theologiae tractandae methodum. Sic LEIDECKER Dogmaticam tractavit, tres oeconomias, a tribus personis divinis sumtas, principium statuens. Alii aliter. Iidem viri singulari etiam linguarum scientia polluerunt, quam ad s. scripturam interpretandam bono cum successu adhibuerunt. Ut alios omittam magnam hac in causa celebritatem adepti sunt WITSIUS [2]) et CAMPEGIUS VITRINGA. Hujus imprimis commentarius in vaticinia JESAJAE magnam eruditionis copiam ostendit, et etiam nunc a viris eruditis magni pretii habetur. Duumviri illi quam maxime de ecclesia Nederlandica meriti sunt. WITSIUS praeceptoribus Theologiae usus est VOETIO, ESSENIO, HOORNBEECKIO, postea MARESIO. Utriusque tamen scholae vitiis neglectis mediam viam tenere conatus est. VOETII pietismum cum solida theologia et libero COCCEJI ingenio conjunxit, cujus multis opinionibus valedictis, Theologiam foederalem [3]) ab eo suscepit, quae ejus praesertim auctoritate in ecclesiis Nederlandicis popularis facta est. WITSII deinde vestigia pressit discipulus ejus, quem jam laudavimus, VITRINGA. Non

---

1) De operibus illorum virorum vid. GASS, l. l. T. II, p. 300—323.

2) Scripsit inter alia commentarium in Epist. JUDAE; disputationem criticam de symbolo Apostolico.

3) WITSIUS, *de oeconomia foederum Dei cum hominibus libri IV.*

tantum illi Theologiam moralem excoluerunt, sed etiam Coccejanorum methodum concionandi emendare studuerunt. Idem mox fecerunt DAVID FLUD VAN GIFFEN, D'OUTREIN et post eos praesertim celeberrimus LAMPIUS [1]), VITRINGAE discipulus, vir eruditione et pietate aeque pollens. Hos autem et alios Theologos spectantes, qui post COCCEJUM in ecclesia Nederlandica viguerunt, et singuli decora fuerunt disciplinae, quam coluerunt, nequaquam EBRARDO assentiri dubitamus COCCEJUM Theologum dicenti èt de ecclesia Reformata, èt de disciplinis theologicis universis, èt de regno Dei optime meritum [2]).

---

1) De viro illo egregio Cf. MAX GOEBEL, l. l.

2) Cf. EBRARD, l. l.

THESES.

I.

Scholasticismus redivivus in Theologia Protestantium pro magna parte Jesuitarum auctoritati tribuendus est.

II.

Multos Theologos, COCCEJI partibus addictos, CARTESII philosophiam amplexos esse tum ex communi odio in Aristotelicam philosophiam, tum etiam ex interiore quodam nexu explicandum esse mihi videtur.

III.

Errant, qui discrimen materiale esse statuant inter Scholasticos, qui dicuntur, Theologos in ecclesia Reformata et Foederalistas.

IV.

Qui COCCEJUM SPENERO et SCHLEIERMACHERO aequiparent, nimis eum extollunt.

V.

CALVINI illud paradoxon: „cadit homo providentia divina sic ordinante, sed suo vitio cadit," cui veteres Theologi Reformati omnes omnino assentiuntur, ipsorum notioni de Deo et homine consentaneum est.

VI.

JESUS apud Joh. VIII: 58 realem suam praeexistentiam significavit.

VII.

Efes. IV: 9, κατέβη (πρῶτον) εἰς τὰ κατώτερα (μέρη) τῆς γῆς non de descensu ad inferos intelligendum est.

VIII.

Verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς (Rom. IX: 5) ad praecedens ὁ χριστός referenda sunt.

IX.

Joh. XXI: 15, pronomen τούτων de discipulis intelligendum est. Quaestio JESU intelligenda est: „Hebt gij mij liever dan deze (mij liefhebben)."

X.

PAULI narratio (Gal. II: 1—11), non pugnat cum iis, quae de conventu Apostolico in *Actis App.* (Cap. XV) narrantur; neque inde concludere licet ad dissensionem in denunciando Evangelio inter PAULUM et PETRUM.

XI.

Act. XX: 28 vulgari lectioni praeferenda est lectio: ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου.

XII.

Joh. VI: 69 legendum est: σὺ εἶ ~~ὁ Χριστὸς~~ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.

XIII.

Vere JESUM in vitam rediisse statuimus.

XIV.

Non singula CHRISTI facta imitari debemus, sed animus noster ad sanctum illius animum in omnibus ejus factis conspicuum, est componendus.

XV.

Institutio doctrinae Christianae catechetica ut pueris,

ita et multis in ecclesia adultis valde est necessaria, atque adeo ab Euangelii interpretibus singulari studio est procuranda.

XVI.

Doctrinae Christianae interpretem accommodare se oportet ad auditorum intelligentiam, eorum vero erroribus favere ei minime licet.

DISSERTATIO HISTORICO — JURIDICA INAUGURALIS

DE CARCERE CELLULARI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCTOR ET IN FACULT. THEOL. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA ULTRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS DOMELA NIEUWENHUIS,

MONNICKENDAMMENSIS.

A.D. DIEM XVIII JUNII, A. MDCCCLIX, HORA I.

AMSTELODAMI,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCLIX.